DE BABRII FABULIS QUAE IN CODICE ATHOO LEGUNTUR CORRUPTIS ATQUE INTERPOLATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. M. JANUARII A MDCCCLXXI.

HORA XI—XII.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS GUILELMUS HOCH

SUHLENSIS.

ADVERSARII:

RUD. MAENNEL.

EDG. ZWIRNMANN.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

A. MDCCCLXX.

De Babrii fabulis quae in codice Athoo leguntur corruptis atque interpolatis.

In prooemio quod dicunt altero prodit Babrius multos deinceps, ubi primus mythiamborum genus condiderit, exstitisse imitatores ac sapientiae suae artisque compilatores,[1]) qui superbia tumentes ipso inventore meliora se praestare opinarentur. Fieri sic potuit ut Babrio vivo qui ipsius qui aliorum essent apologi legentibus difficile esset ad dijudicandum. Quod secernendi negotium majores difficultates attulit iis, qui fabulas colligere et in ordinem quendam redigere postea instituerunt. Quo quidem tempore et a quo ea cuius exemplar offert codex Athous fabularum sive collectio sive ecloga confecta sit, id nescimus: tamen alphabeticum ordinem quo fabulae ibi dispositae leguntur ab ipso poeta profectum esse omnino negandum est. Quid enim? Nonne probabilius tibi videtur, fuisse, qui *κατὰ στοιχεῖον* fabulas distribueret quam poetam mira quadam libidine eo ductum fuisse, ut poemata sua alphabetice non solum ordinaret et legi vellet, sed etiam scriberet? Cui opinioni jam per se infirmae etiam repugnant quae tradiderunt Avianus in Praef. ad fabulas suas et Suidas s. articulo *Βαβρίας ἢ Βάβριος*, quorum alter in duo alter in decem volumina fabellas a Babrio divisas fuisse refert. Qui enim fabulas alphabetice ordinabit sane aut tot earum quot sunt litterae condet libros aut omnes uno libro, non pluribus comprehensas edet.

---

[1]) Egregie mihi Bergk indagasse videtur exeunte v. 12 *ἢ 'μὲ νοσφίζειν*. Quod Nauck proposuit *γεγωνίσκειν* (pro *με γινώσκειν*) facilitate quidem mutationis arridet, sed refellendum est, quia sic, praesertim quum v. 10 Schneidewini *ψοφωτέρας* probetur, solummodo de dictione verba facta essent. V. Mähly. J. f. Ph. u. P. 87.

Quum igitur fabulas posteriore demum tempore secundum litterarum ordinem distributas esse pro comperto habendum sit, aliorum poetarum carmina sive temere sive de industria subdita esse non est mirandum, praesertim quum consideres, cui rei fabularum facta sit collectio. Diasceuasta enim, qui idem mea sententia prooemii I auctor est, editurus erat, ut disertis verbis pronuntiatur pr. I, 17, librum discentium usui destinatum, qui liber sub nomine inventoris mythiamborum eiusdemque praestantissimi scriptoris ita circumferebatur, ut haud raro, quae aliorum ingeniis debentur, tribuuntur ei, qui aliqua in re perfectissimus putatur.

Verumtamen non solum aliorum poemata Babrianis interserta sunt, sed etiam in carmina vere Babriana interpolationibus sexcenties peccatum est.

Quod enim Horatius (Epp. I, 20, 17 sq.) libro suo timendum auguratur hisce verbis:

Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
occupet extremis in vicis balba senectus

id vel maxime Babrii fabulis accidit. Has scilicet fabulas in scholis haud dubie multum lectas scioli ludimagistri certatim mutatis verbis interpretati sunt paraphrasi audacius verterunt breviarunt exornarunt, tamen in hac quam commendat Quintilianus (Instit. I, 9, 2) fabularum tractatione neque sensum poetae semper salvum servarunt neque omnino eam quae debetur religionem carminibus adhibuerunt: sed poetico sermonis ornatu detracto pro suo quisque ingenio quae vulgari et sensui et sermoni sunt magis accomodata supposuerunt; in eximia deinde qua est Babrius dicendi brevitate haerentes frequenter hic illic versus adjecerunt tum recens fictos tum a Babrio quidem profectos in altera autem recensione spretos atque omissos; appinxerunt denique epimythia, quibus fabularum sententiae pro temporum et hominum conditionibus non semel mutatae ac detorsae sunt quibusque additamentis saepius factum est ut prodierint partus ita deformati

ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne.

Ex tali aliqua fabularum collectione diasceuastarum magistellorumque conatibus adulterata codex noster Mena judice

S. X. exaratus dubio procul originem duxit. Unde enim, ni ita est, versus illi inutiles atque inepti, quos versibus gravissimis saepe invenis intermixtos, unde taetra illa vitia metrica apud eum poetam, qui alibi subtilissimis artis metricae legibus nimium fere anxie obsecutus est, unde dictio illa, quae elegans plerumque ac vetusta abjectissimam interdum olet Graecitatem? Talia sunt, quibus Cobetus adductus est, ut codicem Athoum magnam partem a monachis interpolatum esse et perpauca ab ipso Babrio profecta continere arbitraretur. Vide eum De arte interpr. p. 71. Licet Hecker (Philol V p. 491) temere id ac festinanti calamo a Cobeto scriptum fuisse existimet: si quis accuratius codicis fabulas examinaverit, illud viri praeclarissimi judicium, quamquam non totum probandum, tamen non cum Heckero explodendum esse concedet.

Uti denique omnia veterum scriptorum quae supersunt opera librariorum negligentia atque inscitia non nihil jacturae fecerunt, ita frequentes nostri codicis depravationes dandae sunt librario, qui verba explicationis gratia ascripta voces formasque tritiores pro rarioribus in textum recepit, litterarum similitudine deceptus ad versus proximos aberravit aliaque quae sunt librarii oscitantis ac dormientis haud raro admisit.

Levitatis qua in transscribendo fuerit librarius exempla jamdudum correcta — memoro e. g. 18, 11 ἄλλην pro ἕλην. 54, 2 ἀγνοεῖν παραπλώσας pro ἁγνὸν ἧπαρ ἁπλώσας. 70, 2 ἑκάστῳ pro ἐσχάτῳ — recoquere nolo: sed malo pauca hic addere quae emendatione adhuc egentia facili negotio emendari posse mihi videntur simulque interspergam locos aliquot, qui haud scio an antiquitus jam corrupti a librario tentati et in pejus detorti sint.

3, 2. Codex, quem A significant, exhibet: ἐπὶ σηκὸν ἄγειν θ', ὥς, quae manifesto sunt vitiosa. Scribi volo ἐπήγαγ'· εἶθ' ὥς, de qua mutatione infra pluribus dicam.

6, 8. Hartung, praeceptor mihi dilectissimus, edidit ἔκυσεν ἡ μήτηρ, quod Schneidewini emendatione ἔκυσ' ἐμὴ μήτηρ multo potius est. Ille, opinor, si codicem a G. Dindorfio (Philol. XVII, 361 sqq.) denuo examinatum novisset, certe scripsisset quod pro tradito ἔπτυσε μήτηρ scribendum est ἔπτυσ' ἡ μήτηρ.

11, 9. ἄλωνα: cas. accus. forma monstrosa. Ἅλω habet Noster 34, 2, ἅλων Nic. Ther. 116. Trisyllabam quam metrum flagitat formam offert Et. M. 74 ἅ λ ω α, quae sine ulla dubitatione Babrio danda est.

ibid. 5 male me habet codicis τοῦ βαλόντος, quo vix melius est quod Orelli aliique dederunt τοῦ λαβόντος. Quod Ahrens et Bergk legi voluerunt τοῦ βλαβόντος a sensu arridet, tamen a forma suspicionem movet. Apud J. M. Heusinger. [Fabulae Aesop. Gr. Lips. 1810] p. 86 legitur τοῦ ποινητῆρος. Ft. scribendum est τοῦ κακοῦντος.

ibid. 8 proposuerim κ ό τ ο ν pro κόπον.

12, 4. A: ἄωρον ἐκπεσόντα τῆς ὥρης. Idem bis dicitur. Certe ἄμοιρον vel simile aliquid pro ἄωρον dedit poeta.

19, 4. A: πορφυρῆς θιγεῖν ὥ ρ η ς. Audacter dictum. Suspicor scriptum fuisse ὄ σ χ η ς (Ὄσχη ἀμπέλου κλάδος κ α τ ά κ α ρ π ο ς Athen. XI p. 495) sive ὤ σ χ η ς (ἡ δὲ ὤσχη κλῆμά ἐστι βότρυας ἐξηρτημένους ἔχον Suid. s. v. Ὀσχοφόρος).

23, 4. 5. A: τ ο ῖ ς π έ ρ ι ξ ἄρνα λ ο ι β ὴ ν παρασχεῖν κτλ Multis nominibus id displicet. Ingeniose conjecit Bergk: π ε ρ υ σ ί α ν (περσύαν) ἄρνα θοίνην: nisi quod Anthol. lyr. ed. II p. XXVI typothetae errore legitur π ε ρ ι σ ύ α ν.

26, 5. A: ἐπέσχον σφενδονῶντα. Scribendum aut cum Fixio σφενδονῶντι aut ἐ π έ γ ν ο ν = ἐπέγνωσαν.

27, 1. In A finitur hic versus vocabulo quod repudiandum est πνίγων. Ex codd. Vatt. qui integram exhibent hanc fabulam in textum receperunt editores δήσας, quod mihi interpretamentum esse videtur vocabuli et in A et in eo quem Vatt. MSS. secuta sunt libro obscurati. Scribendum esse suspicor π ρ ί ω ν stringens. An placet quod et ipsum paululum abest a codicis scriptura κ ἀ π ε ί γ ω ν?

ib. 2. Pericula eorum qui huic versui medelam studuerunt afferre ad unum omnia laborant duobus nominibus, quod neque ὑδάτων eam qua alibi id utitur prosodiam tribuunt: producitur enim υ in arsi 25, 2. 72, 6, corripitur in thesi 36, 5. 43, 2: et removent traditam vocem συναγγία, quae sensui melius satisfacit quam quae eius locum obtinent συναγκεία (auctore Bernhardyo), συνεχεία (Vat. fab. exhibente), στενυγρίη (jubente Lachmanno). Significat enim συναγγία domus partem eam, quae per

αγγη aquam pluveam excipit sive locum, ubi per canales aquae inutiles confluunt. In domo vero fabulae rem agi, non in „cava aquarum valle", quis est qui id non percipiat ex vv. 4. 6? Versus formatus ita: *ἔπνιγ' ἐν ὑδάτων συναγγίᾳ κοίλῃ* jam ea de re displicet quod justa caesura caret. Verbis transpositis efficitur versus hic: *ὑδάτων ἔπνιγεν ἐν συναγγίᾳ κοίλῃ.* Quum vero vocabulum *ὑδάτων* omnino non necessarium sit, deprompto ex Vat. fab. *βαλών* scr. *ἔπνιγ' ἐπιβαλών*:

ΕΠΝΙΓΕΝΥΔΑΤΩΝ
ΕΠΝΙΓΕΠΙΒΑΛΩΝ.

28, 4. A: *τέθνηκε μήτηρ ἄρτι γὰρ πρὸ τῆς ὥρης.* Versum varie tentatum emendo sic:

τέθνηκε, μῆτερ, ἀρτίως· πρὸ τῆς δ' ὥρης.

ib. 8 *παταχθείς* ante Hecker. voluit Schneider Saxo p. 210.

29, 2. A: *ζευχθεὶς ὑπὸ μύλην ἑσπέρην πᾶσαν τάλας.* Nec poetice nec litteris traditis accommodate legi voluerunt viri critici *ἤλεσ'* et *ἤλει.* Scr.

ζευχθεὶς δ' ὑπὸ μύλην πᾶσαν ἡμέρην ἔτλη.

31, 10. A: *ὡς ἐν ἀνθρώποις.* Suidas (s. v. *Φρήτρα*) *ὥςπερ ἀνθρώπους* et codicibus fluctuantibus *ἀνθρώποις.* Scribendum erit ut 49, 4 *παρ' ἀνθρώποις.*

ib. 17 Pro *ἄλλοι* scr. cum Suida s. v. *Τρώγλη*: *ἀλλ' οἱ.*

32, 4. A: *ἧς τις οὐκ ἔχων ἤρα.* Ut aptus sensus evaderet verba per interrogationem extulerunt editores et pro *οὐκ ἔχων* dederunt Orelli et Lachm. *οὐχ ἑκών*, C. F. Hermann cll. Archil. ap. Ath. XV, 37 *οὐ γέρων*, Sauppe *οὐκ ἐρῶν*, Schneidewin *οὐκ ἰδών.* Simplex loci sensus est „qualem nemo non amaverit qui eam nactus fuerit": quem assequeris scribendo: *ἧς τυχὼν τίς οὐκ ἤρα;* Sed v. quae de hoc v. infra disserentur.

35, 4. Nauck Philol. VI p. 408 transposuit vv. 3. 4 *ἀγρίης ὑπ' εὐνοίης — ἀθλίως ἀποπνίγει.* Sane displicet *θάλπουσα κόλποις ἀγρίοις*: sed facilius huic molestiae medeberis si scribes: *ἀγρίως ἀποπνίγει.*

42, 1. *Δεῖπνόν τις εἶχε.* Eleganter id dictum non est. Scribe: *Δεῖπνόν τις ἐτέλει λαμπρόν κτλ.* Cf. Heusinger. p. 91, ubi f. XXI ab iisdem his verbis incipit.

ib. 8. A: *ὃς οὐδὲ ποῖ ἂν ἀναλύειν με γινώσκω.* Pro *ποῖ ἂν* dedit Boissonade *ποίαν.* Quod pro *ἀναλύειν με γινώσκω*

legi voluit Lachm. ἤλόων μ' ἐγίνωσκον et metro refellitur et fabb. pedestribus ap. Heus. l. l. et Halm. 62. Quae alii perticlitati sunt ἀναλύοιμι, ἀναλύων με ea de re probari nequeunt quod verbnm ἀναλύειν nonnisi littera voc. υ producta admitti potest cf. 7, 11. 55, 3. Versum sic refingo:

ὅς οὐδ' ὁποίαν ἀναλέλυκα γινώσκω.

43, 13. A: καὶ ταῦτ' ἔφη· δύστηνος. L.: κἀνταῦθ' ἔφη· κτλ. Frigide! Lege: ναὶ ταῦτ', ἔφη, δύστηνος κτλ. vel cll. 34, 9 τί ταῦτ';

45, 8: τὰς δὲ ἰδίας ἀφῆκε. Nec Sauppii G. Hermanni aliorum δέ γ' (fugit enim Babrius p. γέ) nec Hertzbergi ἐνδίους (sensu poscitur ἰδίας) nec Bergkii τὰς δ' αὖτ' ἰδίας placet. Scribe τὰς δ' ἄρ' ἰδίας.

56, 3: ὡς καλὴ μήτηρ. Proposuit Jupiter εὐτεκνίης ἔπαθλα: ergo reponendum erit quod jam Boissonadio placuit καλοῦ.

57, 11. Ex traditis verbis καίπερ ὄντας ἀνθρώπους sensum, qui arrideat, non enuclearunt interpretes. Corruptela his inest. Conjeceram καὶ περᾶν τινας ῥώπους antequam legeram Bergkii καὶ περᾶν πρόσω ῥώπους. Περᾶν τινας ἀνθρώπους suspicatus erat Sauppe.

61, 5. Codex: θήραν δ' ὁ γριπεὺς ἠρέθιζεν ἀγρίην.

Ego: θηρῶν δ' ὁ γριπεὺς ᾑρέτιζε (Or.) τὴν ἄγρην.

Dübneri ἀγρείην quod in editionibus legitur admitti nequit, quippe quod adjectivum significatum habeat a nostro loco prorsus alienum cf. Ar. Nu. 655. Thesm. 160. Quod porro mutari volui postulat concinnitas: figuram enim quam dicunt ἀπὸ κοινοῦ Babrius alibi non adhibuit.

ib. 6 scr. ἅττ' εἶχον pro τά τ' εἶχον.

63, 7: οὐδ' ἄν τις ηρώων. Deest syllaba quam vocabulo εἷς ante τις interserto explerunt Meineke et Schndw. Addendum est ἕν, quod docet v. 9 κακῶν δὲ πάντων et v. 11 παρέξω πολλά, κἂν ἓν αἰτήσῃς. Facile praetermitti potuit ἕν post ἄν. Qua vocula reducta ἀγαθῶν aptius fortasse scr. pro ἀγαθόν.

70, 3: ἣν ἄρης κατειλήφει. Hertzberg e paraphr. Cor. 361 (Halm. 162) proposuit μόνην, quam emendationem acceperunt editores. Ego litteris traditae lectionis quoad fieri potuit servatis scribendum esse censeo: ἣν ἄρ' οὔτις εἰλήφει.

71, 8: ἄνεμοι δὲ πάντες, ων. Scribe: πάντων, ὧν. Οὐδέν,

ait *θάλασσα, αἰτίη εἰμὶ τούτων, ἄνεμοι δὲ* (sc. *αἴτιοί εἰσι*) *πάντων*. Qui *πάντων ὦν* distinctione ante *πάντων* posita scribi volunt oppositionem expellunt egregiam et obtrudunt textui verborum collocationem a Babrio alienam.

72, 6: *καὶ θερινὸν ὕδωρ*. Una litterula deleta vera lectio comparet: *καὶ θέριον*.

ib. 20: *χὠ νηπίων ἔφηβος ὀρνέων ἴρηξ*. Pro *ἔφηβος*, quod nihili est, suspicatus sum *ὄλεθρος*. Boiss. dedit *ἔφεδρος*.

73, 1. *Ἴκτινος ἄλλην, ὀξέην εἶχε κλαγγήν*. Versum corruptum esse prodit et spondeus in quinta sede collocatus et vocabulum in novissimo versu oxytonum. Multifariam critici versum in integrum restituere conati sunt: quem olim ita lectum fuisse opinor:

Ἴκτινος ἄλλην ὀξέην λάλην ἤχει.

Λάλη vox inusitata occurrit ap. Babrium syll. II, 90, 24: *λάλην τε τὴν ἄμουσον ἀποστυγοῦσι*. V. Lewis. ad h. l., qui laudat Lucian. Lexiph. c. 14.

83, 1. *Κριθάς τις ἵππου πᾶσαν ἡμέραν πίνων*. Qui *κριθὰς πίνειν* pro *κριθὰς καταπίνειν* dictum esse existimant locutionem barbaram Babrio tribuunt, neque habent quomodo *πᾶσαν ἡμ.* vel apte explicent vel excusent. Nec vero excidit, quod aliis placuit, versus, sed perversum est a librario alterum hemistichium. Paraphr. 176 H. secutus refingo versum ita:

Κριθάς τις ἵππου 'κλέπτεν, ἃς πέρων ἵππον.

Librarius a v. 1 *ἃς περῶν* aberravit ad v. 2 *ἡμέραν*, quo facto *ἵππον* mutavit in *πίνων*.

85, 14 sqq.: *Ἄλλοι μὲν ἡμῶν μέλανες, οἱ δὲ τεφρώδεις·*
ἔνιοι δὲ λαμπροὶ καὶ διάργεμοι στῆθη,
ἄλλοι δὲ λευκοί.

Suidas s. v. *Διάργεμοι* excitavit:

Ἀλλ' οἱ μὲν ὑμῶν μέλανες, οἱ δὲ τεφρώδεις·
ἕτεροι ξανθοί κ. δ. στ.

Λαμπροί v. 15. A ferri nequit, quia et gradationem *μέλανες — τεφρώδεις — διάργεμοι — λευκοί* turbat et idem quod *λευκοί* significat. Haud dubie *λαμπροί*, quod vocabulo *λευκοί* ascriptum fuit, germano vocabulo ex v. 15 expulso in textum irrepsit. Redonandum est Babrio aut quod Suidas offert *ξανθοί* aut quod habet paraphr. 276 H. *πυῤῥοί*. Similiter — quod

O. Hense amicus doctus mecum communicavit — librarii oculis ad novissimum fabulae versum aberrantibus in epim. pros. f. 105 vocabulum *δικαίως* locum occupavit ante *προσφόρως*.

88, 5. 6. *ὁ δὲ τῆς ἀρούρης δεσπότης ἐποπτεύων,*
ὡς ξηρὸν εἶδε τὸ θέρος.

Verbum *ἐποπτεύω* semper alibi ut 2, 8. 3, 7 construitur cum casu; *εἶδε* verbo *ἐποπτεύων* antecedente molestum est; fabula ex MSS. Vatt. a Furia primo edita (quae exstat ap. J. H. Knochium Babrii fabb. et fabularum fragmenta Halis 1835. p. 128) exhibet, quod nullius pretii est, *ἀνθηρὸν ὄν*. Versui corrupto succurri poterit, si codicis litterarum et sonis et ductibus quantum fieri potuit salvis scribetur, commate post *ἐποπτεύων* amoto, hoc: *ὡραῖον ἤδη*.

95, 47: *πάλιν δὲ κερδὼ καθικέτευε.* Meineke *κερδοῦν ἱκέτευε*. Forma *κερδοῦν* dubia. *Καθ* unde in verborum contextum pervenerit, sic non percipitur. Scriptum fuisse puto: *κηλάδ'* cll. Babr. II 73, 21. 79, 20. 82, 2. *Κηλάς, ἀλώπηξ* Suidae glossa in aliquibus codd. omissa ab editoribus injuria deleta est. V. Lewis. ad Babr. II 73, 21.

ib. v. 50 legitur *αὖθις ἀλλ'*. *Αὖθις* Dindorfio testante a manu rec. lineolae suprascriptum est certe ad id, ut versus nnmeri explerentur. Scribendum est quod paraphr. 243 H. servavit: *ἀλλ' ὅμως*. Particula *ἀλλά* a Babrio non postponitur; injuria etiam sic collocata est ea 18, 6, ubi *μαλλόν*, quod sensui convenit, pro *μᾶλλον* textui inseratur oportet.

98, 19 sq. *ὡς ἄμικτον ἀνθρώποις ἐρᾶν λεόντων ἢ κτλ.* Restitue: *ὡς ἄμεινον*. Infra de hoc loco dicetur.

102, 11. Pro *ἀεὶ* Babrio dari volo quod requiritur verbum *ἰδεῖν* [*ΙΔΕΙΝ*].

107, 7. Crux interpretum. Pro *χειλῶν ἀμέσσων* A obtulit Dübner *ἀμέμπτων*, L: *ἄμεινον*, Schndw. *θέμις σῶν*, Ahrens *ἂν, ἐσσήν*, Bergk *ἀμυσχρῶν*. Legendum esse censeo *ἀμισγῶν* quod voc. occurrit ap. Nic. Alexiph. 195 vel *ἀμίκτων*. Utrumque quem Bergk consecuturus est sensum praebet minus a tradita lectione recedens.

ib. v. 10: *καὶ φιλαγρευταῖς ἐμπεσών.* L. scripsit *φηλαγρευταῖς*. Utraque forma lexicis deest. Hartung ex *ΚΑΙΦΙΛ*

elicuit *κἄπειτ'*. Mihi placet *καὶ πῶς; ἀγρευταῖς* vel *φιλαγρέ-ταις ποτ' ἐμπεσών*.

110, 4: *σὺ βραδύνεις*. Varie vocabulum novissimum homines critici periclitati sunt. Conjectavit *βαρδύνεις* Ahr. *δηθύνεις* Nauck *δ'ἁβρύνῃ* L. Restitue *σὺ δ'οὐ θύνεις*, cuius interpretamentum fuit *βραδύνεις*.

111. Totam hanc fabulam gravissimis de causis a Babrio abjudicavit Theobaldus Fix. At non omnia quae nunc ibi leguntur vitia auctori crimini vertenda, sed multa eorum librario danda esse mihi persuasum est. Acerbissime vexati sunt vv. 11—13, qui in libro unde transscripti sunt speciem fortasse praebuerunt hanc:

τοὺς δ' ἅλας πάλιν τήξας
κούφως ἀνέστη γαῦρος (Bgk.) *ὥς τι κερδήνας.*
ὁ δ' ἔμπορος τέχνην τιν' ὑπονοῶν πλείστους.

Alia et multa, quae librarii festinationi ac negligentiae debentur, alibi dissertatiuncula hac procedente afferentur praecipue quae in leges metricas et artem Babrianam peccant.

Quum vero codex Athous — cuius res ita se habent ut modo indicavi — unus qui maiorem fabularum Babrianarum partem continet adhuc detectus sit quumque praeter sexaginta nisi fallor locos a Suida allatos aliunde duodecim tantum codicis fabulae integrae (ap. Kn. I—VII. IX—XII. XX.) ex codd. Vaticanis Bodleiano Vossiano innotuerint, periculosum suscepturus foret negotium, si quis germanam ubique fabularum formam revocare conaretur. Itaque viri docti, qui in Babrii fabulis emendandis atque interpretandis operam collocaverunt, quamquam recensione unde liber Athous manavit ea quam habuit Suidas recensio nonnumquam vincitur deinde etiam textui constituendo ac suppositiciis tollendis fabulae pedestres, quae magnam partem ex puro fonte haustae esse videntur, auxilio vocari possunt: tamen alios codices aliaque praesidia exspectanda esse existimant antequam verum Babrium restituere periclitandum sit. At si reperiuntur quae interpolatorem et linguae et artis metricae ignarum manifesto prodant, quae fabularum et nitorem deforment et acumina infringant, si frequentes reperiuntur versus incompti, quibus deletis minime timendum sit ne quidquam detrimenti capiant fabulae: talia, quaeso, meliusne est

retineri an removeri? Est levitatis quidquid displicet abjicere priusqnam accurate exploraveris quid aut debeat aut possit pro genuino haberi: alteram in partem peccas, si quae nullius pretii sunt ac naevos maculasque auctori inurunt quibuslibet artificiis defendere studes aurique micas extricari posse putas ubi nihil nisi quisquiliae inveniuntur. Proinde cavendum ne Babrio vim afferas nec non cavendum ne imperiti interpolatoris partes tuearis retinens quae repugnant simplicitati brevitati perspicuitati elegantiae, quas primarias virtutes se sectatum esse Noster confidenter de se praedicat.

Quae tenenti mihi nunc propositum est disserere primum de prooemio quod dicitur priore, deinde de epimythiis, in quibus tractandis et ipsam artem metricam Babrianam persequar, denique de singulis et versibus et apologis quos partim corruptos partim interpolatos esse existimo.

I.

Nihil exhibet codex, quod mea quidem sententia a Babrii ingenio, quale ex ipsis libelli fabulis concepimus, magis alienum sit quam prologus vel prooemium quod dicitur prius. Quod adhuc nemo exstitit, qui totum, quod incondita dictione metricarum legum contemtione argumenti ineptiis manifesto se prodit interpolatoris partum monstrosum, delendum esse censuerit valde miror. Sane non ita comparatum est, ut possit invitare ad fabulas ipsas cognoscendas. Quasnam igitur causas habent viri docti, cur opus illud Babrio vindicandum esse arbitrentur? Opinantur hi, credo, fortunae iniquitate et librarii festinatione praepropera id male depravatum esse.

Librarium autem jam initio negligentius properasse nihilo probabilius est quam poetam artis illud puri jambi in quinto pede collocandi praeceptum, cui per totum fere libellum obtemperavit, ter quaterque sprevisse in prooemio cf. vv. 3. 4. (11.) 15. Librarius me judice culpa vacat, nisi forte putas ab ipso librario prooemium esse consutum.

Verumtamen sumamus prooemium germanum esse, sed corruptum! Quid nunc? Idem faciendum quod pictoribus et statuariis, qui antiqua artis opera laesa et mutila probabiliter in integrum restituere intendunt. Itaque viri critici iterum

iterumque locos qui maxime corrupti visi sunt tentarunt, vitia metrica sustulerunt, lacunas explerunt aut interpretationibus artificiosis nihil periisse demonstrarunt, versus alios transposuerunt[1]) alios expunxerunt, quidquid fieri potuit fecerunt: tamen nulla eorum sagacitas effecit, ut apparuerit, quod a Babrio profectum esse tu tibi persuadeas.

In silvam ligna ferens multis aliorum emendationibus addo de meo duas. V. 3 conformatum voluerim:

τρίτη δ' ἀπ' ἀργυρῆς πέφυκε χαλκείη.

Et argenteae aetatis, quam omissam aegre ferimus, sic mentio facta, et importunus ille quintae sedis spondeus remotus, et molesta ejusdem verbi (*ἐγένετο* Boiss. post *γενέσθαι*) repetitio in versibus continuo se sequentibus vitata est. — Versum deinde 6., ubi critici homines in *τῆς δὲ σης* A (Dübner dedit *χρυσῆς*, Lachm. *ἐπίσης*, Haag Philol. XXIX p. 172 *ἐπὶ τῆς δὲ γέννης* vel *γενεῆς*) et in verbis quae sequuntur *τὰ λοιπὰ τῶν ζώων* (de quibus mutandis cogitavit Boiss.) haeserunt, tentavi aliquando ita: *ἐπὶ τῆς δ' ἀλώπηξ καὶ τὰ λοιπὰ τ. ζ.*: vulpeculae enim quae primas agit in apologis partes mentionem fieri non alienum mihi visum est. At has conjecturas, quum interpolatorem adjuvent non Babrium, pro nihilo duco: qua de re quae alia in hunc prologum conjeci libens reticeo.

Etsi totum prologum ut a Babrio abrogaret adhuc nemo a se impetravit, tamen, si singulos versus quos hic ille vir doctus delevit ut spurios collegeris, pauci, qui *νοθείας* suspicione carent, remanebunt.

Carolus Lachmann secludi voluit vv. 3. 4. 5., quos eosdem nuperrime Haag l. l. damnavit verbis hisce „wenn die kritik auch alles störende beseitigte, so müsste man doch an der ächtheit dieser verse zweifeln.“ Certe frigida quae hic egitur aetatum enumeratio est magistelli, qui sinistro tempore scientiam suam praestiturus erat.

Removit deinde quem nunc quidem revocavit Bergk versum 11. Proximum v. 12 uncis inclusit Weise in editione Babrii fabularum Tauchnitiana. Sane intempestivus uterque

---

[1]) Drogan vv. 12. 13. posuit post v. 6. progr. Berol. 1847.

versus. Quid enim est quod agat agricola, ubi terra sponte sua omnia procreat? Quid deinde ad rem facit fructuum proventus spontanei mentio, ubi poeta non descripturus est auream aetatem, sed ad id solum spectat ut exemplum afferat animalium rerumque inter se sermocinantium? At fortasse quispiam dixerit: Poetae non anxie curant severas cogitandi leges. Immo, respondeo, insaniunt interdum poetae, sed — ut ait Horatius — certa ratione modoque.

Versus porro 14. 15. 16. rejecit Theobaldus Fix de Babrio emendato optime meritus. Vide eum Revue de philol. I p. 49. Displicet vitium metricum v. 15, verborum *μάθοις καὶ γνοίης* tautologia, dictio omnino mala et fusa.

Ultimos denique versus tres proscripsit Weise, quem v. p. 89. Adde quae Fix l. l. p. 50 adnotavit. Quemadmodum hi versus leguntur in A, quod nemo non concedit, nullius flocci sunt. Sed ne Dübneri Schneideri aliorum quidem emendationibus quae praedicantur palmariis admissis versus ita se habent, ut Babrio eos dignos esse arbitreris. *Θήσω* enim, quod, ut unum memorem, paulo post *θείης* iteratum non magis arridet quam tempus futurum ubi aut perfectum aut praesens exspectatur, intactum reliquerunt viri docti versibusque insuper imputarunt quae veluti verbi forma *θέῃς* praepositionis *ἐνί* a Babrio abhorrent. (Ego aliquando v. 17 legi volui ita: *ὅπως δ' ἕκαστον ἐντιθῇς σὺ τῇ μνήμῃ.*)

Pauci igitur restant prologi versus, qui in proscriptorum numerum adhuc non relati sunt. Sunt vero hi aeque atque illi auctoris proletarii. Aperte enim talem animalia et res quibus loquendi potestas vv. 9. 10. 11 tribuitur male electa produnt, quippe quibus partes in ipsis mythiambis aliis raro aliis omnino non datae sint.

Tamen nihilominus Fixio, qui miseris his versibus manifesta Babriani ingenii vestigia inesse existimavit, ex animi sententia album calculum adjiciam, si quidem eo sensu id accipi voluerit, ut versus de quibus agitur imitando effictos esse sumamus ex duobus prooemii vere Babriani versibus 14. 15. Quae et ipsa ex eodem prooemio arrepta sunt reperiuntur vv. 15. 16, quos quaeso conferas cum illius versibus 5. 6. An

tibi poeta noster tanta sententiarum verborumque inopia laborasse videtur ut in altero prooemio ipse se repetiverit? Mihi quidem Babrius alius est. Prologum vero totum miserum esse centonem inde etiam elucet quod ejus auctor in aetatibus et enumeratis et descriptis Hesiodi vestigiis tam presse institit ut ipsa eius verba iteraverit. Cf. e. g. v. 4:

μεθ' ἣν γενέσθαι φασὶ θείαν ἡρώων cum O. et D. 155 sq.:

Αὖτις ἔτ' ἄλλο τέταρτον Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος.

Accedunt alia et, opinor, graviora unde prologum falso Babrii nomini addictum esse appareat. Duo enim leguntur in codice prooemia. Quod quamquam per se non offendit, tamen gravissimam movet suspicionem, si ea non sunt ita comparata ut aut se excipiant aut sibi si non respondent non repugnent. Nunc autem de apologorum et historia et fine aliter judicat prooemii mihi invisi auctor aliter auctor genuini. Hic disertis verbis dicit apologos esse *Σύρων παλαιὸν εὕρεμ' ἀνθρώπων*, ille est in numero eorum qui, quod animalia ratione carentes immo arbores lapides aliae res inanimae loquentes producuntur, fabulas antiquissimis illis temporibus quibus homines brutorum mutorum familiari consuetudine usi sint exortas esse opinantur.

Hic deinde gloriatur, quod ex Aesopi *μύθοις* et Archilochi *ἰάμβοις* novum carminum genus grave seriumque condiderit verbis hisce:

ἐγὼ νέῃ μούσῃ
δίδωμι φαλαρῷ χρυσέῳ χαλινώσας
τὸν μυθίαμβον, ὥσπερ ἵππον ὁπλίτην.

Quid ille? Verba facit velut si non tam apologos quam nutricularum fabulas oblectationis causa enarraturus sit puerulo:

μάθοις δ' ἂν οὕτω ταῦτ' ἔχοντα καί γνοίης κτλ.

At infantium animos ut delectarent eo consilio apologi neque ab eo qui primus eos excogitavit neque ab aliis qui apologorum perhibentur auctoribus unquam conditi sunt: sed potius, quod jam vetustum nomen *αἶνος* docet, eo spectant, ut quae hominibus et rebus humanis adhaerent vitia atque incommoda acriter moneant vituperent castigent. Quod vero iambicae poesis acerbitatem a se mitigatam esse Babrius affirmat, ne sic quidem inde effici potuerunt carmina, quae tamquam

dulciola offerantur puerulo. Puerulum autem esse Branchum quem alloquitur Pseudo-Babrius cum ex vv. 2. 14 tum ex toto prologi tenore liquet. Iam vero cursim transiens libellum non ita paucas invenies fabulas, quas a pueruli intelligentia prorsus remotas esse negari non poterit. An quae de deorum atque heroum naturis, quae de cultu ac sacris, quae de feminis, quae de medicis ignavis, quae f. 54 de eunucho narrantur, ea apte ad puerum dicta esse putas? Ac ne ceterae quidem quae sunt codicis fabulae hanc de fabularum origine et consilio opinionem adjuvant: sed potius eam quam earum modo posuimus rationem justam esse prorsus omnes evincunt. Quid tamen haec curat Alphonsus Hecker. „Quod se,“ ait hic v. d. Philol. V p. 495, „verbis, quibus libellos dixit *μελισταγὲς κηρίον* sectatum esse profitetur (sc. Babrius), id majore pro parte assecutus est, quum fabellas Aesopeas proxime nutricularum commentis succedere recte scripserit Quintilianus.“ Ubi poetam ipsum consulere debebat, alienum auctorem citavit!

Similiter non tam ipsos quos liber continet apologos omninoque justam apologorum naturam quam prologum ad Branchum dictum respexit Fix, quippe cui libellum ad id, ut Branchus, Babrii discipulus, fabulis Aesopeis perjucunde imbueretur, compositum et, ut puerulus hic libellum commode consulere posset, in alphabeticum ordinem ab ipso Babrio adductum esse persuasissimum sit (Revue de philol. I p. 50[1]). Est fortasse ubi non sit ridiculum illud Tertulliani (De carne Christi c. V) „Prorsus credibile est quia ineptum est, certum est quia impossibile“: tamen in nostra re cum Tertulliano facere non possumus. Immo vana haec quae jam supra explosa est opinio verae fabularum naturae ac rationi repugnans, quum uno de quo agitur prologo nitatur, que nihil manifestius docet hunc eundem prologum aliis quoque rebus laborantem spurium esse.

Dubitationes vero ab hac parte sese de pr. I offerentes nescio an presserit illud, quod egregius noster Jacobus Grimm.

---

1) Justam nostri libelli rationem et ipse Fixius l. l. p. 63 perspexit verba faciens de aliquo „qui a remanié et arrangé à sa façon notre recueil.“

(Rein. Fu. p. 3) eandem quam prologi auctor originem fabulis vindicavit.

Iam vero si tu inter eas quas A comprehendit fabulas quam maxime varias discrimen quale inter duo quae ibi leguntur prooemia aperte intercedit fieri non posse intellexeris, fore spero ut id saltem concedas pr. I quippe ab apologis abhorrens in A non esse suo loco.

Sin autem ex alia aliqua fabularum collectione a Babrio alphabetice ordinata pr. I remansisse tibi videtur, audi, ne id quidem veri esse simile. Nonne enim mirum esset, si in tali libello prooemium — cui inter plura quae interisse haud scio an suspiceris sine dubio primus locus dandus erat — non inciperet a littera *A*? si illa ordinandi ratio eo potissimum loco ubi maxime perspicua fieri potuisset temere esset neglecta?

Quum igitur neque in A neque in ea quam Fix sibi finxit fabularum collectione pr. I loco sit: ubinam alibi apte legi potuit? Certe tu ut de fabulis conditis iudicabis ita prologum nostrum priori fabularum aut libro aut recensioni praemissum fuisse opinaberis.

Duos autem fabularum libros alterum post alterum in lucem edidisse Babrium viris doctis elicere placuit ex pr. II v. 16:

ἐκ δευτέρου σοὶ τήνδε βίβλον ἀείδω.

Fix l. l. ex his verbis collegit poetam brevi spatio intermisso „altera vice huncce (cui praemittitur pr. II) librum cecinisse.“ Hartung (Babrios und die älteren Jambendichter p. 11) similiter vertit „ich singe jetzt zum zweiten male dieses andere buch.“ Priorem vero librum hic v. d. sane multo tempore ante alterius editionem foras datum fuisse arbitratus est ita ut qui pr. II castigantur imitatores tempore interjecto prodire potuissent. At verba *ἐκ δευτέρου* quam hi viri subdiderunt interpretationem *δευτέραν* non admittunt: significant potius ea hic idem quod 95, 102. 114, 5 i. e. iterum. Non igitur ad alterum qui alteri successit librum illa verba referenda sunt, sed ad iteratam omnium fabularum recensionem, cuius vestigia nobis locos spurios infra tractaturis aliquoties occurrent.

Utrumcunque vero tibi probatur: id inde non percipitur, quo jure Babrius — si quidem ex tenui ac debili pr. I argumento quales libri prioris fabulae fuerint conjici potest — magnam illam, qua pr. II in imitatores invehitur, sibi sumpserit.

Vides igitur ne sic quidem pr. I Babrio probabiliter tribui posse.

Quae quum ita sint quid est cur tu miserum hunc centonem tamquam Babrianum tuearis? Stasne tu fortasse a partibus eorum qui quidquid poematibus lumen afferat in poetae vita diligentissime investigandum esse putent. Agedum tu, retine si placet prooemium et ad multa somnia hariolationesque, quae de Babrio paedagogo, familiaritate discipuli in summa dignitate nati, vita in aula acta, aliis, hoc potissimum prooemio nixi viri docti in medium protulerunt, alia affer quae neque indagari possunt neque indagata ad fabulas intelligendas quidquam faciunt.

Mihi quidem prooemium I est seriorum hominum alicuius, qui apologos collectos praefatione, quam addendam esse putavit, pro suo consilio ac suis infirmi ingenii viribus instruxit.

Quo vero rejecto prooemium alterum, quod ubi nunc legitur non suo loco est, nostro libello praefigendum esse censeo.

II.

Foribus a se primo apertis ait Babrius pr. II, 9 sqq. multos esse ingressos, qui doctioris artis (σοφωτέρας μούσης) carmina aenigmatibus similia pangerent. Nec v. 13 fabulas se perspicua oratione componere de se ipse non praedicat. Quid aliud his dicit poeta quam suas fabulas per se esse claras perspicuas intellectu faciles et carere posse addita chria? Et profecto nonne omnis operis primaria virtus cernitur in eo quod praesidiis cujusvis nominis remotis facile est ad intelligendum? Ut pictura cui ipse pictor explanationem ascribendam esse censet pro pulchra ac perfecta haberi nequit, ita poema quod interpretatiunculis eget obscurum ac malum est.

Num additamentis, quibus res magis pateant, indigent Babrii apologi? Non indigent qui sunt genuini: sed lautas Noster instruxit epulas, in quibus aegre patimur indicem qua-

]em Nasidienus ille Horatianus advocaverat Nomentanum „ad hoc, qui, si quid forte lateret, indice monstraret digito.“

Nihilominus plurimis libelli fabulis addita sunt epimythia: quae qualia a dictione arte sensu sint nunc videamus.

Dictionis Babrianae jure praedicatur elegantia concinnitas simplicitas. Quarum virtutum quid in epimythiis? Saepe nos ibi laedit sermonis inaequalitas obscuritas tumor.

Certe non eleganter dictum est 4, 6 *σωτηρία καὶ κακῶν ἔξω*, ubi sermonis concentu requiritur aut *σωτήριον* pro *σωτηρία* aut *φύζα* pro *ἔξω*. Pessima dictio inest 59, 17 ubi unde pendeat infinitivus *κρίνειν* nescio. Ut structurae subvenirem tentavi *χρὴ φθόνον δὲ μὴ κρίνειν* et *μήτ' ἔα φθόνον κρίνειν* praeterea etiam *κίνει*: at sensus ne sic quidem cum reliquis congruit. V. infra p. 25. Semibarbare dicitur 64, 11 *μᾶλλον* ubi exspectatur *μείζω*. 79, 7 *παντός* 8. *πραγμάτων* ob id solum arcessita sunt ut versuum numerum expleant. 70, 6 *τὰς πόλεις ἀνθρώπων* abundant post *ἔθνη*. 71, 11. 12 haeremus et in eo quod debiliter initium capitur a conjunctione *ὅτι* et in plurali numero *φύσεις* et in verbis abundanter additis *ὡς δοκεῖν φαῦλα*. 85, 20 *στασιάζον* pro *στάσις* et *δοῦλον* pro *δούλειον* audacissime dictum est. 103, 20 legitur nulla re cogente *ὅστις οὐ* ubi *ὅστις μή* flagitatur. Quamquam enim Babrius *μὴ* pro *οὐ*, tamen nusquam *οὐ* pro *μή* adhibuit.

Vocabulorum, quae serioris quam cujus temporis apologi esse videntur notam prae se ferunt, pauca memoro haec: *ἀπελπίζειν* (= *ἀπογιγνώσκειν* 107, 11) bis 43, 18. 107, 17. *πεποιθήσεις* (cf. Lob. ad Phryn. p. 295) 43, 19. *ἔμφασις* 116, 15. *εὐρηνεύοι* 39, 4.

Tumidi sermonis exempla praebent praecipue epimythiorum versus principales, quibus epimythista legentium animos ad sapientiam quam pronuntiaturus est accipiendam componere studet. Quam joculare est vaniloquum illud f. 22: *Φάσκει δ' ὁ μῦθος τοῦτο πᾶσιν ἀνθρώποις*, item f. 5: *Ἄνθρωπε, καὶ σὺ μή ποτ' ἴσθι καυχήμων*. His addi possunt 38. 43. 56. 96 all. Quae vero jam per se risum movent epimythiorum initia ridiculiora evadunt, si magnam gravemque rem minantia trita decantata puerilia extricant (mons parturibat, murem

2

peperit!). Nonnumquam insuper haec initia sibi ut ovis ova similia sunt cf. 52 c. 81. 47 c. 85.

Inprimis autem imperitum epimythiorum auctorem prodit sinistra artis metricae tractatio. Quae enim anxie fere observatae sunt in versibus mere Babrianis leges metricae, in epimythiis adeo saepe neglectae sunt, ut quae ibi comparent vitia omnia soli librario nequaquam dari possint.

Anapaestus, quem post primum versus pedem vitat Babrius, legitur in epimythiis quinquies: 9, 11 (*οὐδ' ἀλύοντα*). 50, 21 (*λαθεῖν ἐπιορκῶν*). 82, 9 (*ἄρτι τὺ θρασὺ τῶν*). 85, 20 (*τὸ δὲ στασιάζον*). 96, 6 (*μηδεὶς διὰ καιρόν*).

Fabularum qui hanc legem violant versus — persecuturus enim sum occasione hic oblata res metricas Babrianas — collegit Dübner Animadvv. critt. p. 25—29. Satis magnus quidem est talium versuum numerus; sed omnes facile corrigi possunt. Quos Dübner non sustulit ex fabularum versibus, anaepaestos in enumeratione quae sequitur asterisco * significabo.

1, 9 *Χὠ μὲν ὀϊστός*. D: *οἰστός*. Malim *ο μὲν ὀϊστός* (⏑⏑́⏑ ⏑–⏑). * 3, 2 *ἐπὶ σηκὸν ἄγειν θ'*. Ego: *ἐπήγαγ'. εἶθ'* vel *ἄγειν ἐπειρᾶθ' αἵ κτλ.* ib. 5 *τὸ κέρας κατέαξε* scr. *κατέαξε το κέρας*. 10, 12 *τούτῳ κεχόλωμαι*. Meineke: *χολοῦμαι*. 12, 4 *τὸν Ἴτυλον ἄωρον* [scr. *ἄμοιρον*]. D: *Ἴτυν* quod exhibet fab. quae extat ap. Knoch. p. 52. Ft. vocabulis transpositis legendum est: *τὸν ἄμοιρον Ἴτυλον*: ⏑⏑–́⏑ ⏑́⏑⏑ cf. 40, 1. 70, 2. 98, 9. [106, 15]. 21, 5 *πολλὰ γὰρ ἦν*. Fix: *πολὺ γὰρ ἦν*. Bgk. *πολλὰ δ' ἦν*. * 22, 12. *ἔθηκαν ἑκάστη*. Nauck: *ἔθηχ' ἑκατέρη*. Scr. *ἔθηκαν*, *ἀεί* de quo infra. 43, 5 *ἐπὶ τοῖς δὲ κέρασι*. Noli scandere: ⏑⏑–́⏑ ⏑́⏑⏑; littera enim voc. *α* in formis voc. *κέρας* semper producitur: *κέρᾶτα* 21, 4. 37, 8. 43, 12. 15. *κέρᾶσι* 91, 4. 112, 3. Proinde scribe: *ἐπὶ τοῖς κέρασι δ'*; item 59, 9 tolle anapaestum scribens aut *τὰ κέρατα μὴ τῶν ὀμμάτων κάτω* aut omisso articulo *τῶν ὀμμάτων κέρατα μὴ κάτω*. 84, 1 pro *κέρατι* adscisce formam *κέρᾳ* (Boiss.: *κέραϊ*) et verbis transpositis lege versum sic: *Κώνωψ ἐπιστὰς καμπύλῳ κέρᾳ ταύρου*. 51, 3 *ἔκειρεν ἀτέχνως* scr. *ἔκειρ' ἀτέχνως*. * 57, 6 *τῷ τῶν Ἀράβων*. La: *τῶν Ἀραβίων*: qua quidem in forma critici offenderunt. At talia nomina adjectiva pro substantivis

usurpata saepe inveniuntur apud poetas v. Lob. ad Ai. 1188. * 64, 5 *στέγη τε μελάθρων* scr: *στέγη μελάθρων τ'*. Libere Babr. collocat particulas. * 69, 2 *κύων ἐδίωκεν* scr. *ἐδίωκεν ὁ κύων* vel *κύων ποτ' ἐδίωκ'*. 70, 2. Ft. *παρῆν ἐπιστὰς Πόλεμος*. * 75. 6. *οὐκ ἐξαπατῶ σε — ἐνεδρεύω*. Versus suspectus: ignoratur a paraphrasta 168 H.[1] * ibid. 16 *ἐπὶ τῷ θεραπεύειν*. Ft. *διὰ τὸ θεραπεύειν* nisi eo quod proceleusmaticus disciplet germanum vocabulum glossa expulsum esse malueris, quod 76, 12 factum est, ubi ex paraphr. 178 H. *ἐφώνει* pro *ἐκέλευε* depromi potest. Ceterum paraphr. praebet verba unde facile effici potest versus hic choliambicus: *ἐπὶ τῷ νοσοῦντας οὐκ ἐᾶν ἀποθνήσκειν*. 86, 8. *σκάπτουσ' ἀνάμεινον*. Dübneri *σκώπτουσα· Μεῖνον* firmat ipse codex, qui Dindorfio teste exhibet *ἄμεινον* suprascriptis tantum litteris *να*. 95, 32 *ἔπρεπέ σοι* scr: *σοὶ πρέπει* vel *σοι* omisso quod dedit Bergk *ἔπρεπεν*. ib. 43 *κερδὼ δὲ χεῖρας ἐπεκρότησεν*. Transpone: *κερδὼ δ' ἐπεκρότησε χεῖρας*.

Restant aliquot loci, ubi termini technici apparent. Uti omnibus poetis ita Babrio in eiusmodi vocabulis adhibendis licentiae quaedam sunt concedendae. At quum extent quae metro satisfaciunt formae, eas a Babrio usurpatas esse veri est simile: itaque haud scio an poeta 18, 3 pro *τὴν σισύραν ἀπεκδύσει* (*ἐκδύσει* A) scripserit *τὴν σύραν ἀπεκδύσει* vel quod Toup. voluit *τὴν σίσυρναν ἐκδύσει*, ibid. 13 *τὴν σύραν ἐγυμνώθη*;[2] item *κορυδαλός* pro *κορυδαλλός* 72, 20. 88, 17, quod idem reponendum 88, 8 pro *κορυδός*.

In quinto pede, quem semper explet purus jambus, invenitur in epimythiis n o v i e s spondeus: 13, 3 *ως ἐκεῖνοι μισήσῃ* (ft. *σὺν κακοῖσι*). 21, 11 *φεύγεαιν σπεύδων*. 22, 16 *ἐκγυμνοῦται*. 39, 4 *εὐρηνεύοι* pro quo quidem quod margini adscriptum est aptius legi possit *ὁμηρεύοι*. 44, 8 *φίλους δ' ἀεὶ τήρει*: voc. enim *ἀεὶ* priore syllaba producta usurpare solet Babrius. 70, 6 *τὰς ἀνθρώπων*. 72, 23 *οἰκεῖον κόσμει*. 24 *στερηθήσῃ τούτων* (ft. *ξένοις γὰρ κόσμοις ἐμπρέπων στερηθήσῃ*). 81, 5 *μὴ φεύγειν ψεῦδος*.

---

1) Ft. *νῦν ἐξερῶ σοι — — ἐνεδρεύσω*. Futurum pro temp. praes. scribendum etiam 95, 69 (Nauck M. Rh. VIII, 409) et 39, 2.

2) *Σίσυρα* de quo ft. aliquis cogitabit lege quae de brevibus syllabis ultimis a Lachmanno constituta est obloquente admitti nequit.

Fabnlarum loci ubi trochaeus legitur partim suspecti sunt partim facili negotio possunt emendari.

Sunt dubitationi obnoxii: 6, 15. 46, 7. 111, 6. 12. 14. Quamquam sine ulla vi 6, 15 *ὀξείῃ* mutari potest in *ὀξέῃ* vel *ὀξεΐ*, tamen hunc versum et sqq. abesse volo, quia v. 16 *πλήν* aliter ac 95, 24 et more quidem vulgaris linguae graecae pro *ἀλλά* usurpatum (v. Mullach. Gramm. der Griech. Vulgärspr. p. 398) scrupulum mihi injicit nec cum v. 14 fabula non pulchre finitur.

Legi metricae de qua agitur facili mutatione adstricti sunt loci hi:

14, 2. 40, 4. 95, 70 *ν ἐφελκ.* remoto; 26, 10 *τὰ* posito pro *τάς*; 7, 15. 9, 3. 12, 16. 33, 2. 97, 6. 98, 16. 123, 1 formis quas vel quarum similes Babrius alibi adhibuit advocatis: *ἐβουλήθη*, *ἡδυφωνίην*, *ἀγρότιν*, *νεόν*, *χαλκία*, *χερός*, *χρύσε'*; 17, 6 42, 1 vocabulis transpositis; 97, 8. 112, 5 vocabulis haud sane necessariis (*ἤ*, *δέ*) deletis; 103, 4 *ἀληθές* pro *ἀληθῶς* ex Suida arcessito.

70, 2. 73, 1 aliis quoque de causis emendationes requisiverunt.

95, 63 propono *φλύειν* pro *γρύξαι*, quia illius significatio „inania effutiendi“ nexui magis apta est quam huius „grunniendi.“ 100, 4 egregie emendavit Eberhard *μεθιέναι πίστιν.*[1])

Versum in duos spondeos exeuntem bis admisit Babrius 22, 9. 45, 3: qui versus vocabulo quod alia ratione admitti nequit finiuntur polysyllabo.

Ceteri versus, quos legi repugnare sunt qui putent, ex prosodia Babriana excusationem habent ut 23, 1. 78, 4 (nisi verborum ordinem mutari malueris: *καὶ τίς σε, τέκνον, φησὶ τῶν θεῶν σώσει* vel scribi *τέκος* pro *τέκνον*). 89, 4. 96, 2: brevis enim vocalis ante litteram mutam cum liquida junctam producitur in arsi collocata, corripitur in thesi. Idem cadit in brevem vocalem ante *ζ*: 53, 4. 61, 10, ubi ft. legendum est *εἶχεν*, *α ἰ τ ή σ ε ι*. 95, 29. 107, 15 (ubi Weise et Bergk eximie dederunt *ἀντὶ ζωγρείας*).[2])

1) Alfred Eberhard, Verbesserungsvorschläge zum Text des Babrios. 1866: cujus ejusdem Obss. inspexi iis quae habeo dudum conscriptis.

2) Editores male corrigendo spondeum textui aliquoties intulerunt. Ter sic tentata est fab. 66. Hartung v. 1 dedit *ἀλλ' οὐ πρώτων*: eundem

Sedulo deinde cavet Babrius ne in extremo versu collocentur vocabula vel oxytona vel proparoxytona vel perispomena. In epimythiis haec lex neglecta est quinquies: 4, 8. 10, 14. 12, 27. 52, 8. 79, 8.[1])

Jam videbimus quomodo fabularum versus in hanc regulam peccantes se habeant. 12, 17. interpolatus est. 19, 2 sanavit Ahrens verborum transpositione; idem participio revocato correxit 50, 19. Boiss. 31, 13 dedit *τοίχων* pro *τειχῶν*. 47, 1 nunc legitur *ὑπεργήρως*. Paroxytonum exstat id vocabulum in cod. Med. Aeschyl. Ag. 79 v. Steph. Thes. s. v. 65, 1 corrigere nemodum conatus est: ft. *Ἥριζε ταῷ γέρανος εὐφύει φλαύρη*. Verborum collocatio per chiasmum facta haud sane displicebit: sed potius res oppositas eminentiores faciet. 73, 1 manifesto corruptum supra tentavi.

Restant versus qui in pronomina personalia exeunt: *ἡμῖν* 90, 4. 98, 7. 113, 4. *ἡμᾶς* 27, 7. 58, 9. 119, 8 *ὑμᾶς* 9, 9. 47, 11. In omnibus his locis pronomina sine vi ac pondere posita sunt: qua de re accentus retrahi potest. Aliter se habet 25, 10, ubi *ἡμῶν* vi quadam pronuntiatur. Bergk, quem v. Anth. lyr. ed. alter. XXVI, hoc quoque loco accentum reduxit; tamen melius, opinor, transponuntur verba ita:

ὁρῶ γὰρ ἡμῶν ἀσθενεστέρους ἄλλους.

Quibus perlustratis confitendum quidem est satis frequentes esse ipsarum fabularum locos in metricas leges quas viri

---

quem consecuturus erat sensum metro servato efficere poterat scribens *οὐχὶ τῶν πρώτων*; at non est cur codicis lectio mutetur. Eiusd. f. vv. 6. 7 corrupit Boissonade. 100, 3 editores *μοι*, *γοῦν*, *πρίν* post *ἐνέχυρον* interseruerunt: conjicio *ἀλλ' ἄγ' ἐνέχυρον δώσεις*.

1) Mirum est quod haec lex, quae a Ludovico Ahrens detecta (De crasi et aphaeresi cum coroll. emendatt. Babrian. p. 31) et satis aperte ob oculos posita est, effugit Lachmannum, qui alias artis Babrianae leges ad accentum spectantes nimia interdum subtilitate investigavit. Huius vero legis ignarus Lachm. emendaturus saepius quae textum corrumpunt dedit ut 2, 3 *ἄγροικος*, 42, 8 *ἐγίνωσκον*, 94, 7 *ἰατρειῶν* (praeeunte Boiss.): [116, 12 *ἐλθεῖν*]. 119, 1 infelicissime *τεχνητός*. Bergk apte dedit *χερνήτηρ*. Tamen placet vulgata. Vitiose deinde proposuit Meineke 57, 4 *ἀνδρῶν*, ubi Bergk eximie dedit *ῥώπων*, Eberhard *ὤνων*. Temere scripsit Hartung 23, 4 *ἱροῖς* 39, 5 *διαλλακτοῦ*. 46, 6 *ἀπέτρωγεν*. Ferri denique nequit Dübneri *ὀτρηρῶς* 100, 3 ubi placet quod Bait. Fix Mein. certatim proposuerunt *οὐραίην*.

docti statuerunt Babrianas peccantes, attamen — ut mittamus quod omnia fere vitia haec aut facile tolli possunt aut versibus inhaerent aliis quoque de causis suspectis — haud sane frequentes sunt prae epimythiorum locis leges illas non respicientibus. Sunt enim epimythiorum versus (c. 116) ad versus fabularum (c. 1335) = 1: 11, 53; contra quae epimythiis insunt vitia (19) ad vitia fabulis inhaerentia (c. 65) = 1: 3, 42: unde efficitur ter aut quater (3, 4) saepius in epimythiis, quam in fabulis leges illas neglectas esse. In solum autem librarium requentium quae epimythiis insunt vitiorum culpam conferendam esse nemo, opinor, est cui id ex animi sententia persuasum sit.

Abstinet deinde poeta trochaeo in versus fine ita, ut omnino quo limatiores fabulae apparent eo diligentius versuum clausulae vitatae sint trochaicae.

In f. 95, quae CII versus continet, unus solus invenitur in trochaeum exiens, qui ut arctius toti carmini annectatur versus ultimus data opera, opinor, sic fictus est. Contra f. 106, quae septies offert trochaeum in versus exitu, jam hac de causa suspicionem movet. Suspecta etiam est f. 116, cuius vv. 2. 3. 6. 10. 13 trochaeo terminantur. Spurii sunt 12, 17. 22, 13. 68, 6. 76, 10.

Codicis lectionem injuria mutarunt editores 72, 4. 114, 2 (*κρείττων*). 76, 9 (*δυστήνοις*).

Usui Babriano accommodati sunt vel facile accomodari possunt loci hice: 1, 5 *σπεύσῃς* F. 22, 7. 11 *γραίῃ* Or. ib. 12 (*ἔθηκαν ἀεί*—) *ἀποσπῶσαι*. 29, 2 *πᾶσαν ἑσπέρην* (*ἡμέρην*?) *ἔτλη* (*τάλας* A). Eberh. *ἤλει*. 31, 14 *ἀχρείως* (*ἀχρεῖα* A), *ἀκραίοις* Düb. pulchrius quam verius. 50, 3 *πρὸς θ. σ. σωτήρων* cll. 3, 7. 92, 4. | 103, 13 *ζώων* cll. 59, 3. | 106, 4 *ἐπειράθην* cll. 57, 12. | 107, 3 *τοιούτοις* cll. 77, 3. ib. 9 *ζώειν* F. 114, 3 *ἁπ. φ. ἐκπρ. λάμπει*. ib. 6 *πν. β. ἦν λύχνου*. Mendum delitescit 115, 4, ubi Schndw. suspicatus est *κλύων* (*ἴζων*?).

Remanent trochaei 7, 2. 57, 9 *φόρτον*. 10, 7 *πᾶσαν*. 23, 4 *ἄρνα*. ib. 6 *ταῦρον*. 24, 3 *ἦγον* (Hrtzb. *ᾔτουν*). 31, 20 *πρόσθεν*. 33, 12. 47, 8. 99, 8 *τοίνυν*. 42, 7 *κρεῖττον*. 57, 8 *ὥσπερ*. 67, 5 *πρῶτος*. 76, 8 *ἀλλοῖον* (*ἀλλοίων*?) 95, 101. 102, 11 *ἥτις*. 100, 4 *πίστιν*. 108. 1 *ἀρουραῖον* (ft. *ἀρουρίτην*). 112, 9 *μᾶλλον*.

Epimythia trochaeum habent versu exeunte quindecies: 4, 8. 10, 14. 22, 13. 29. 5, 47, 16. 50, 20. 52, 8. 64, 11. 65, 8. 71, 12. 81, 5. 84, 4. 85, 2. 107, 18. 116, 16.

Paucis igitur plures sunt fabularum quam epimythiorum loci ubi usus de quo agimus Babrianus negligitur: quamquam illae versuum numero duodecies fere superant haec.

Suspicionem movent praecepta moralia fabulis addita ea quoque de re quod aliquoties sequuntur rationes prosodiacas a Babrio alienas. *Λίαν* non ut alibi spondeum, sed pyrrhichium efficit 29, 5. *Τίνω* 27, 3 syllabam priorem producit, corripit 34, 13. *Λίχνος* 60, 5 et *ἔθνη* 70, 6 brevem habent syllabam priorem, quamquam Babrius syllabam ante litteras *χν* et *θν* correptam non admittit. Qui versus huic observationi repugnant (51, 3.) 75, 4. 114, 6 aliis quoque de causis medicinam exigunt. *Ὕβρις* altera syllaba producta usurpatur 70, 7. *Ἰσχύω* corripit 96, 6 syllabam mediam, quae in fabulis (47, 12. 76, 16. 77, 6. 95, 7. 112, 10) uno 19, 6 quem locum aliter tradidit Suidas excepto producitur.

Inveniuntur denique epimythiorum versus qui omnino pejores sint quam quos pro Babrii umbra habeas. 14, 5 syllaba ante litteram mutam c. liqu. junctam ter corripitur, quod nusquam alibi a Babrio factum est qui ne bis quidem huius modi correptionem in eodem versu admisit (108, 23 transponens verba lege: *τρίζων ἄσημα κτλ.*). Pessimum versum habes 70, 7, ubi bis spondeus invenitur pro iambo; sequens versus hoc non pluris aestimandus. Si forte quem juvabit verba quae parvi pretii sunt scazonte inclusa legere, ei offerri poterit: *Μὴ γοῦν ποτ᾽ ἔθνη καὶ πόλιν τιν᾽ ἀνθρώπων ὕβρις προςέλθοι κτλ.* Versus admodum inconditi leguntur etiam 82, 9. 11: quos cave credas scandi posse v. 9 — ⏑–́⏑ ⏑–⏑ ⏑–́⏑...... v. 11 — ⏑–⏑ ⏑–⏑....... Arsis soluta non potest constare ex duabus syllabis, quarum altera collocata est ante litt. mut. c. liq.: talis enim syllaba in arsi semper producitur a B. Qui loci epimythiorum scriptorem adjuvare videntur alliis quoque de rebus dubitationi subjecti sunt. 95, 32. 45 jam supra medicina parata est 75, 7 delendum est *γὰρ*. Spurius est 88, 2: qui quidem versus fluet si tu *τὸν* removeris vel *τῷ* dempto cum Bergkio scripseris *χαραδρίῳ τε*. Babrii non sunt 106, 3

(ft. ὅσων ἀρίστων νοῦν ὀρειτρόφων ἔγνω). 15 (ft. ὅπερ εἶλεν ὁ λέων τῇ νεοδρόμῳ θήρῃ). Quae vituperatio in 82, 9. 11 eadem cadit in 34, 14. Male etiam tornatus est 50, 20 exiens in tria monosyllaba οὐδ' ἄν τις. 43, 19 et 103, 20 arte Babriana carentes castigavit Lachm. praef. XV.

Misere igitur se habent epimythia si ad dictionis et artis rationes exquiruntur: quaestio jam oritur num ita sint comparata ut sententias aptas ac fabulis accommodatas eloquantur.

Faciamus idcirco poetam a se impetrasse ut fabulis aliquot adderet epimythia. Quibus, quaeso, credis fore ut ea addiderit? Certe, opinor, iis fabulis quibus aliqua re subvenire non indignum visum est. At, ubi explicatio quaedam e re fuisset (e. g. 51), desunt epimythia: quae non desunt, ubi fabularum sententiae tardissimo cuique ingenio liquent: 11 (ubi v. 12 probe sufficeret). 18. 21. 23. 24. 56. 67. 70. 72. 81. 94 alibi.

Sed et ibi, ubi sententia disertis verbis in ipsa fabula expressa patet, auctor ille epimythiorum de suo aliquid agglutinavit: compara 13, 13. 14 c. v. 12; 14, 5 c. vv. 3. 4; 47, 15. 16 c. vv. 10—12 (fabula c. v. 12 apte finitur); 50, 20. 21 c. vv. 18. 19.

Quid? Quod epimythia inutiliter addita interdum eloquuntur sententias in quaevis melius quam in fabulas quas explicatura sunt quadrantes?

Fabulae 9. sensus, si epimythistae credis, est hic: Fieri nequit ut quis sine labore et otiose vagans — ἀλύειν seriorum more dictum est pro ἀλᾶσθαι — lucrum faciat: qui sensus omnino non cadit in fabulam. Quod significaturus est poeta id vv. 9. 10 planissime dixit. Confer Herod. I, 141 (27b H.), confer etiam paraphrastam qui 27a H. bene addidit: Πρὸς τοὺς παρὰ καιρόν τι πράττοντας ὁ λόγος εὔκαιρος.

Audi deinde quod epimythiorum auctor pronunciavit ad f. 22: Flebilis quicunque in feminas incidit. Jocone an serio id dictum est? Miror quod ii qui de Babrii vita exposuerunt poetam fuisse mulierum osorem inde non collegerunt. Paraphr. 56b H. idem exhibet dicterium: alteri antem paraphrasi 56a H. additum est: Οὕτω πανταχοῦ τὸ ἀνώμαλον ἐπιβλαβές ἐστι. Fabula docet hoc: Miserandus quicunque totum se convertit ad aliorum arbitrium. Plane absurdus est qui sequitur versus 16 confictus ex spurio v. 13.

Ex f. 31 deprompsit epimythista unum solum momentum idque levissimum: in quo quidem et ipsi paraphrastae 291a. b. H. acquieverunt. Quod si sufficit ad eam quam Phaedrus IV, 6 exposuit fabulam, non sufficit ad fabulam Babrianam explicandam. Dicturus est poeta haec: Fortitudo innata atque insita est, non comparatur rebus adventiciis (huc praecipue spectant vv. 3—10): ducesque cum militibus ignavis juncti vitam et gloriam periclitantur.

Ad f. 34 scripsit Menas: Babrius paraît avoir souffert de la part de son mauvais tuteur. Si res ita esset nimis clementer diceret Babrius in fraudulentum tutorem. At omnino non agitur de *ὀρφανοῦ οὐσίᾳ*: sed fabula commode dicitur e paraphrasi 348 H. *πρὸς ἄνδρα χρεωφειλέτην, ὅστις ἑτοίμως τὰ ἀλλότρια λαμβάνων* vel potius ad hominem, quicunque rem alienam tenens (veluti Franci nunc Alsatiam), *ὅταν ἀπαιτηθῇ, οὕτως ἄχθεται, ὡς οἴκοθεν προϊέμενος.*

F. 35. Parentes nimio amore liberis obsunt. Hic simplex fabulae sensus. Quid vero epimythista?

F. 47. Ecce minutam magistelli diligentiam! Quod filios admonet senex ut inter se sint semper concordes, commendari putat ille *φιλαδελφίαν*, non universe *ομονοίαν*. Verba *ἣ καὶ ταπείνους ὄντας ἦρεν εἰς ὕψος,* quae de a m o r e f r a t e r n o dicta omni sensu carent attenuate reddunt illud: Concordia res parvae crescunt.

F. 59. Agitur non de invidia (*φθόνῳ*), sed de Momo. Sufficeret unus versus 18.

F. 60. Puerilis explicatio! Babrius carpit homines delicatos luxuriososque in quos cadit illud: Lusisti satis, edisti satis atque bibisti, Tempus abire tibi!

Fabulae 79 sententia melius simpliciusque expressa legitur ap. Stob. X, 69: *τοῦ πλέονος ἐπιθυμία τὸ παρεὸν ἀπόλλυσι.* Quod in Georgidae Gnomologio (Boiss. Anecd. Gr. I p. 17) cod. versus Babrio ascripto reperiuntur ut eos a Nostro revera profectos esse arbitremur omnino non efficit.

Fabulae 107 sententiam apte expressit Phaedrus III. 2: Solet a despectis par referri gratia; similiterque paraphr. 256 H.: *Καὶ οἱ σφόδρα δυνατοὶ τῶν ἀσθενεστέρων ἐνδεεῖς γίνονται.*

Noster inde elicuit: Interdum qui sunt pauperes succurrere possunt divitibus (εὐποροῦσιν?). Lewis hoc epimythium a Christiano homine adjectum esse arbitratur. Ab eodem, opinor, epimythium f. 119 adjectum est: quippe cui offensioni fuerit novus ille qui in fabula laudatur deorum cultus.

Quid porro? Quod epimythia — ut etiam argumentis extrinsecus petitis utamur — a paraphrastis, qui poetae vestigiis institerunt, adjecta sunt partim omnino nulla cf. 44 c. 394a H. 65 c. 397a H. 70 c. 162 H. 85 c. 267 H, partim alia tum a codicis epimythiis diversa cf. 44 c. 394b H. 47 cum 103 H., tum a codicis epimythiis et inter se discrepantia cf. 35 c. 366a. b. H. 71 c. 94a. b. H? Paraphrastae, opinor, certe mutationibus abstinuissent, si quae in codice extant epimythia aut legissent aut Babrii esse putassent.

Id quoque hic memorandum est quod epimythia leguntur in A, quae ex aliis fabularum versionibus advocata esse videntur: dico illud f. 116 epimythium, quod apte convenire cum Appul. Metam. IX, 27 monuit C. Schenkl. Philol. XXII p. 330; item illud f. 31 quod magis accommodatum esse ad Phaedr. IV. 6 modo memoravi.

Carent deinde epimythiis eae, quae jam ante A detectum notae fuerunt fabulae Babrianae: quarum tres nunc caudas trahunt haece: 12 (ap. Kn. I p. 52.), 33 (ib. V p. 73.), 84 (ib. IX p. 88).

Addendum etiam est quod Suidas, qui fabularum locos haud infrequentes laudavit, ne unum quidem vocabulum ex epimythiis sumptum attulit.

Quid denique sibi volunt 23, 9 *Ἐντεῦθεν ἡμᾶς τοῦτ᾽ ἔοικε γινώσκειν* et 56, 8 *Ὁ λόγος δοκεῖ μοι πᾶσι τοῦτο σημαίνειν*? Haec verba num sunt poetae modesti? Minime. Babrius, qualem ex prooemio novimus, suis ingenii viribus confidit. Sunt verba epimythistae de sua ipsius re incerti, cui quamvis modestissimo ineptiarum, quas haud semel fabulis appinxit, venia non danda est.

Quam vero studiose interpolatores sententias scazontibus inclusas fabulis addere intenderint, id manifestum faciunt quae in affabulationibus prosaicis hic illic apparent choliamborum

vestigia. Eius modi autem versificatorum nugis, quae cave credas Musae Babrianae esse membra, non est cur succurratur: itaque libenter dimittimus scazontes illos quos ex pedestri sermone procusos fabulis 83. 92 adjecit Boissonade.

Tantum abest ut equidem sententias a Babrio apologis additas esse putem ut et eas quae perpetuis versibus cum apologis cohaerent ei abjudicandas esse censeam, quales leguntur: 6, 15 sqq. 14, 5. 18, 14 sqq. 31, 21 sqq. 36, 13. 14. 43, 13 sqq. 45, 13. 14. 63, 12. 98, 18 sqq. 115, 11 sqq.

Sed de his additamentis, nisi jam perstricta sunt, dicetur proximo capite.

III.

Restat ut disseram et de singulis ipsorum apologorum versibus et de apologis totis eis quos codex Athous exhibet mea opinione interpolatis. Per libelli ordinem de his agens item verba faciam de iis versibus quos editores injuria Babrio alios in A extantes denegarunt alios aliunde arcessitos obtruserunt.

3, 1. 2. His versibus malam manum admotam esse nemo non videt. In ἐπὶ σηκὸν ἄγειν ϑ' A acquiesci nequit quia et nominum synonymorum (ἔπαυλιν et σηκόν) junctura et metrum offendit. Boiss. dedit quod metro refellitur ἄγειν, ἐκαλεῖϑ'. Dübner, qui in littera ϑ veteris lectionis vestigium apparere monuit, proposuit ἐπανακαλεῖϑ'. Lachm. dedit ἐπισυνάγειν. Utraque conjectura violat legem eam quam idem Lachm. Babrianam sanxit praef. XV. Qua in lege quod ne ipse quidem constiterit excusat verbis his „scribere ausus sum ἐπισυνάγειν, quod certe sententiae convenientissimum est.“ Viris doctis id non persuasit. Immo elocutio εἰς ἔπαυλιν ἐπισυνάγειν poeta eleganti, opinor, omnino indigna est. Delevit versum 2 Ahrens, qui in novissimo v. 1 proposuit κράζων pro χρήζων quod Menas falso transscripserat pro κλείζων: at εἰς ἔπαυλιν κράζειν vereor ne dici queat. Et ipse Schneidewin v. 2 damnavit „quia eum,“ inquit, „non habuerunt paraphrastae“: contra Bergkio idem versus ex duobus coaluisse videtur. Ex paraphrasis 17 H. verbis ἐπανάγειν ἐπειρᾶτο intelligitur v. 2 non esse abjiciendum exque ejusdem verbis ὡς δὲ φωναῖς καὶ

συριγμοῖς χρώμενος tale quid quale Ahrentis *κράζων* ft. *κλάζων* scriptum fuisse: itaque restitui volo locum sic: *κλάζων*

ἐπήγαγ᾽· εἶθ᾽ ὥς κτλ.

Antehac conjeceram: *κλείσων ἄγειν ἐπειρᾶθ᾽· αἵ μὲν κτλ.*

6, 1—3. V. 2. est Dübnero interpolatoris foetus; cetera eidem sunt scita elegantia vere Babriana. Equidem non solum v. 2. tollendum esse arbitror, sed etiam v. 1. *θαλάσσης κτλ.* et ineunte v. 3. vocabulum *μικρόν* ita ut fabulae initium hanc praebeat speciem:

Ἁλιεύς ποτ᾽ ἰχθύν ορμιῆς ἀφ᾽ ἱππείης

ἤγρευσεν κτλ.

Πᾶσαν hyperbolice dictum. Forma *ἠΐονα* A metro repugnat. Locutio *ἠΐονα ξύειν* firmari nequit nisi scriptores Latini advocantur; a quibus r a d e r e saepissime ea quam fabula exigit significatione usurpatur. V. 2 desideratur particula: vocula *τε* interjecta vide num quae copulantur apte copulari possint. Epitheton *γλυκύν* ubi *κακόν* exspectatur non est quod arrideat. *Λεπτῷ καλαμῷ βίον ζώειν* vel quod conjectum est *σώζειν* mira dictio. *Μικρόν* denique facile intelligitur ex verbis sqq. *οὐ τῶν εἰς τάγηνον ὡραίων.* Paraphr. 26 H. simpliciter dedit: *Ἁλιεὺς καθεὶς τὸ δίκτυον ἀνήνεγκε μαινίδα.*

9, 1. 2. Nauck M. Rh. VII. 153 verba *αὐλούς ποτ᾽* tribuit interpolatori. Idem fecit Schneidewin. Uterque justa sine causa. Piscatorem tibias habuisse iisque canendi artem doctum fuisse sane est cuius mentio fiat. V. Hartg. p. 162. Paraphrasta 27 H. *αὐλητικῆς ἔμπειρος* addere non omisit. Ceterum v. 1 exeunte majorem pone interpunctionem.

12. Vv. 11. 12. idem exprimunt quod 13. 14. Utrumque simul admitti nequit. Qua de re vv. 13. 14 exterminarunt editores omnes praeter Hartungum, qui vv. 11. 12 non ex altera recensione, sed ex f. 108, 15. 16 temere insertos esse censet. Tamen retinendi sunt hi quia in fabula quae extat ap. Kn. p. 52 breviata leguntur et eleganti simplicitate illis praestant.

V. 17 (18.) *ἄγε δή κτλ.* abhorret ab arte Babriana nec quidquam est nisi versuum de quibus modo dixi varietas tertia.

Omnino fabulam quae ap. Kn. solummodo constat ex his nostrae versibus 1—4. 7. 8. 11. 12. 13. (18 Schndw.). 18

(19). 19 (20). 23 (22). 24 (23). novissimam ex poetae manu profectam esse puto.

16, 5. 6. Acquiescere nequeo in his versibus qui e paraphr. 275c H. (cf. etiam Schneider. Sax. p. 193 et Kn. p. 200.) ft. sonuerunt sic:

πεινῶν δ' ἐκαρτέρησεν ἑσπέρης μέχρις.
λαβῶν δὲ μηδὲν καὶ λύκος κτλ.

19. Pro codicis v. 6 recepit Lachmann versus duos quos Suidas auctoris nomen silens recitat in *Αἰώρα.* Recessit a codice non tam opinor offendens in media syllaba vocis *ἴσχυεν* correpta (ft. scribi potest *ἔσθενεν*), quam opinione illa deceptus quae praef. XVI pronuntiatur his verbis „Athous codex non tam saepe Suidan vincit quam ab eo vincitur." At duos lexicographi versus uno codicis versu potiores esse equidem non video: et ipse Lachmann saepe aliter judicavit de Suidae auctoritate veluti 7, 12. 13. 10, 1. 24, 4—7. 43, 6. 80, 14. 15. 83, 3. 6. 7. 113, 3.

22. Versibus 2—4 continetur insulsa fabulae amplificatio, quam paraphrastae 56a. b H. aut non noverunt aut prudenter omiserunt. Dictio nimis arcessita. V. 5, qui nunc aegre caret conjunctione, versibus 2—4 deletis bene nectitur cum v. 1.

V. 13. violat et praeceptum illud quod breves syllabas claudentes sub ictu esse (*τιλλόμενος* — ⏑ ⏑ ́ ⏑) vetat [1]) et admittit trochaeum in ultima sede ingratum. Paraphrastae versum ignorant, qui mea quidem opinione nihil est nisi hominis desipientis explanatio vocabuli *ἀεί* versui 12 pro *ἑκάστῃ* redonandi. (Vide v. 8. et Suidae *Ἑκάστοτε· ἀντὶ τοῦ ἀεί.*)

26, 9—12. Vide quae dicam ad f. 33.

27. Post v. 6 Boiss. male inseruit e cod. Vat. versum hunc:

κρεῶν ἀνέφαγας ἄγγος· ὥστε τεθνήξῃ.

Miror quod Bergk et Hartung talem versum, qui particula *δ'* addita Babrio omnino non dignior factus est, in textum receperunt. Displicet enim et forma soloeca *ἀνέφαγας* (corr. *ἀνέφαγες*) et anapaestus in altero pede et serioris Graecitatis

---

1) Perperam ea de re Lachm. 95, 91 *ἔγκατα*, quod etiam juxta *σπλάγχνα* abundat, e Suida deprompsit pro cod. *σάρκας*. Cum toto loco confer Hom. Od. IX 292: *ἔγκατά τε σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα.*

forma τεθνήξῃ. Accedit quod vigor qui per anaphoram πασας —πάντας δέ augetur versu illo addito male imminuitur. Facio cum Dübnero qui versum adjectum esse arbitratur ab aliquo cui conclusio sine verbis ὥστε τεθνήξῃ affectu carere visa sit.

30. 7. Incommoda sunt et vocabula e v. 5. repetita ο δὲ λιθουργός et quod paulo post iteratur εἶδε et ὑπνώσας quod a nullo non intelligitur ex verbis ἐν πύλαις ὀνειρείαις. Majore interpunctione in fine v. 5 posita vv. 6. 7 cogendos esse censeo in unum huncce:

ἐλθοῦσιν εἰπὼν εἰς τὸν ὄρθρον αυ δεῖξαι.

31. Relegavit Dübner vv. 11. 12 ad prolixiorem quam codicis est narrationem cui eidem versum 21 conciliavit. Mea sententia vv. 11. 12 retinendi sunt: quamquam in v. 12 qualis apparet addubito. Boiss. hunc versum, quia seriem turbet, post v- 15 collocandum esse censuit: tamen ut narratio melius procedat haec transpositio non efficit. Bergk ordine versuum servato lacunae signa posuit post v. 11. Suspicor initium v. 12 esse corruptum itaque pro priori v. 12 hemistichio καί τις γαλῆν μῦς proponere audeo hoc: γαλᾶς μυῶν τις. Neque enim ad singularem pugnam mustelarum unam, sed ad communem pugnam mustelas omnes murium aliquis tamquam caduceator provocat. Sic, si recte sentio, narratio procedit uno tenore neque est cur subsequentis versus verba οἵ τε tententur. Vv. 21. 22 deleri volo, quia fabula aptissime cum v. 26 ad finem perducitur. A paraphrastis 291a. b. H. hi versus ignorantur. Similiter interpolator

33. post v 20 quattuor versus fabulae sententiam male exprimentes appinxit. Grues vero, qui in ipsa fabula partes non agunt, haud scio an huc translati sint ex f. 26 cui mirum quantum congruenti cum f. 33 et ipsi detrahendi sunt quattuor qui finem efficiunt versus sententiam fabulae uberius quam verius interpretantes.

32, 4. Haesimus supra in verbis ἧς τις οὐκ ἔχων. Magis haereo in locutione μορφήν λαβεῖν γυναικείην γυναικός. Quum accedat quod versus est inutilis eum sine ulla dubitatione foras pellendum esse censeo.

39. Qui versus leguntur in A nullam efficiunt fabulam sed nudam comparationem. Integram fabulam servarunt paraphrr.

116a. b. H., unde lacuna quae post v. 2 indicanda erat expleri potest. Hartung paraphrastarum verba non ea qua debebat cura et diligentia versibus inclusit. Mähly versus vitiis turpissimis affectos procusit. Me juvat versus ita refingere:

τῷ δ' ὑπολαβών εἷς τις προσεῖπε δελφίνων·
ἦ κρεῖττόν ἐστιν μαχομένοις ὑπ' ἀλλήλων
διαφθαρῆν' ἢ σῆς τυχεῖν μεσιτείης.

Diphthongus *αι* elisa est 80. 2. 84, 4.

41. Fabula a Babrio abjudicanda: etenim quae huius est narrandi brevitas Babrii consuetudini repugnat. Paraphr. deest. Argumentum tractat idem fabula 28.

45, 13. 14. Profecti sunt hi versus epimythii locum explentes sine dubio ab homine seriori et rudi: audi pastorem *αἰγῶν ἔρημον* dictum, *ἐλπίσας* constructum cum *τὰς κρείσσους*, posterioris aetatis formam *ἄνατο, αὐτὸς* temere additum, labentis Graecitatis *ἐκ πρώτης*.

46. Ferri nequit quae in vv. 7. 8 apparet abundantia. Coegit duos hos versus in unum Lachmann. Bergk expulit v. 8., Hartung v. 7. Cum hoc facit O. Keller, qui quidem sine causa haesit in plurali numero *ὕλας*: cf. 12, 2. 95, 10. 42. Versu 7., qui mea sententia ex scholiis ad v. 6. 8. ascriptis confictus est, deleto aut *ᾔει* aut *ἦλθεν* pro v. 6 *ἐλθών* scribendum esse censeo.

50. Molesta est in vv. 15. 16. 17 loquendi notio ter adhibita: *εἶπε — φησί — εἶπε.* Quam offensionem ut tolleret Lachm. collocavit versum 18 post v. 15: qua transpositione facta evasit dialogus mea quidem sententia taedii plenus. Hartung male mutavit exeuntem v. 16, qui totus est abjiciendus certe ab aliquo qui v. 15 adumbraturus erat compositus. Suspicionem quoque movet forma *μνήσκου.* Bergk versum cancellis circumsepsit.

52. Fabula Babrio indigna. Otiosum est v. 1 nominis *ταῦροι* epitheton *ἄρρενες.* V. 3 prodit in scenam *βοώτης,* ubi partes agit *βοηλάτης.* Risum movet absurdus v. 4. Friget v. 5 *κτημάτων.* V. 6 *ἐπ' ὤμοις φερομένη* abhorret a graeco sermone.

58. Versum supervacaneum esse post v. 5 monuit Mähly, qui idem

63, 1. 2 jure offendit et in ingrata subjecti mutatione et in particulis ἔνθα δή. Utrique incommodo ut mederetur mutavit ἔνθα δή in ἐνθ' ἀνήρ. Sed ne sic quidem narratio rectis talis procedit. Ex uno, opinor, qui Babrii fuit versu — ubi aliquis verborum κατ' οἴκους explicandorum gratia ascripsit ἔχων ἐν αὐλῇ τέμενος — duo qui nunc exstant versus orti sunt: quos paraphrasta 161 H. adjuvante in unum coarto huncce:

Ἡρῳά τις κατ' οἴκους εἶχεν, ᾧ θύων.

Ib. 12. Jure Bergk cancellis circumsepsit versum hunc languidum et a dictione maxime vituperandum, qui procul dubio ab aliquo ut epimythii vice fungeretur additus est.

64. Versum 9 damnarunt Lachmann et Bergk. Offensioni fuit nimia ejus cum v. 8 similitudo. Neque vero magis ea hic displicet quam 88, 15. 16, ubi v. 16 a codice omissus ex fabula ea, quae exstat ap. Furiam p. 155 arcessitus est. Duos nostrae fab. versus 8. 9 in unum, qui artis Babrianae praeceptis examussim respondeat, facili negotio cogere vix poteris. Duce paraphrasta 125 H. formavi:

τῶν πελέκεων σε πριόνων τε κοπτόντων

Quod ut periclitarer ea re commotus sum quod et vocabuli ἀεί prior syllaba, quae semper fere producitur a Babrio, hic est correpta neque ita placent bipennes „indesinenter" abietem ferientes. Codicis πελύκων ferri nequit quia πέλυξ (e Photio p. 161 Nab. vox barbara) idem quod πέλεκυς instrumentum significat et brevem alibi habet syllabam mediam. Fix qui retineri vult versum 9 pro πελύκων apte deprompsit ex paraphr. πριόνων.

68. Si haec fabula haud sane praestat elegantia, castigandus est non tam poeta quam interpolator: certe enim malis versibus 2. 6 deletis multo jucundior et Babrio dignior apparebit fabula. In dubitationem hos versus, quorum alter v. 6 deest ap. Furiam 351 (Kn. f. II), jam vocavit Weise, quem vide p. 94. V. 2 displicet locutio πλεῖον βάλλειν, item temporum modorumque mutatio τοξεύσει — βάλοι quam quidem tuetur Knoche p. 60. V. 6 νευρὴν χρυσέην κυκλοῦν audacter dicitur pro χρυσοῦν τόξον κυκλοῦν. Nescio an ex vv. 5. 6 unus faciendus sit hic:

λαχὼν δ' ο Φοῖβος, ὀξέως ἀφεὶς πρῶτος.

V. 1 retinendum est codicis *τοξεύειν*: ubi *ἔλεγε τοξεύειν* dicitur ut 120, 3 *ἔλεγε ἰατρὸς εἶναι*, quem infinitivum injuria mutavit Lachmann in *εἰμί*.

75, 4. 6. Codicis verba *ο δ' ἀτεχνής* sine dubio corruptela laborant. Injuria autem vocabulum *ἀτεχνής* graecum esse negavit Cobet: vide quae contra eum adnotavit Schneidew. praef. XIII. Boissonade, ut metro subveniret, scripsit *ὁ δέ γ' ἀτεχνής*. Perperam: particulas enim *δέγε*, quibus critici quidem usi sunt ad locos corruptos sanandos (uti 36, 13. 45, 8. 46, 7. 59, 10) medicamento ut ita dicam panchresto, raro adhibuit Babrius, qui idem syllabam ante *χν* semper producit. Lachmanni *ὧδ' ἀτεχνής* displicet ea quoque de re quod *ὧδε* eo significatu quo *οὕτως* a Nostro non usurpatur. Omnium quae prolatae sunt conjecturarum probabilissima est Fixii proponentis: *ὁ δ' ἄτεχνος οὖν*. At requiritur quod efficacius oppositum est verbis *πάντων λεγόντων*. Paraphr. 168 H. suppeditat: *οὗτος μόνος ἔφη αὐτῷ*: unde restituo versum sic:

μόνος δ' ἀτεχνὴς οὗτος εἶπεν εἰσβαίνων

Abiit sic quoque vocabulum *ἰατρός* Dübnero admodum invisum. At nonne est hic versus molesta primi repetitio? Est, ut Hartungo et Kellero id concedamus, repetitio, sed necessaria: subjectum enim post duos qui narrationem interrumpunt versus iteretur, opinor, necesse est.

Vv. 5. 6. praeeunte Hartungo transposuit Bergk. Sed v. 6., quem non suo loco esse hi viri judicarunt, omnino locum habere nequit: suspectus enim est, quod habet anapaestum in altero pede, deinde quod a paraphrasta omissus est salvaque fabulae sententia omitti potest. Ab eodem qui hunc versum interposuit subsequenti addita est particula *γάρ*: qua amota versus 7. sponte sua ad aptos metros venit.

76, 10. Valde languet h. v. a Lachm. demum legibus Babrianis accommodatus. Displicet quoque et *τε* et *ἔφερεν* in eandem sedem ac v. 8 admissum.

82, 8. Suidas habet: *χαίτην δ' ἔμελλε τήν ἐμὴν καταισχύνειν*. Quamquam lectionem codicis tuentur paraphrr. Nevelet. Ignat. Ttetz. ap. Schneiderum Saxonem p. 190, tamen jure arbitror editores repudiasse codicis scazontem, cuius prior pars mala litterarum distinctione: compara *χαίτην δ' ἔμελλε*

την cum Suidae *κακὴν δὲ μελέτην*: altera verbis quae scholion fuerunt ad voc. *καταισχύνειν* effecta est.

85, 5. Enixe viri critici hunc versum tentarunt nullo tamen successu opera digno. At operam non Babrio, sed interpolatori praestiterunt. Quum enim prosaria fabula 267 H. exhibeat: *οἱ λύκοι ἠπείλουν σφοδρῶς*: in ipsa autem fabula non agatur de luporum impetu imminente, sed de minis quibus ducem increpant canes, quid est quod ex hoc paraphrastae errore proficiamus? Certe versum, quem genuinum esse negamus ab eo lectum non fuisse, quia, si res aliter se haberet, quomodo labi potuisset non facile perciperetur. Excitavit autem interpolatorem, ut interponeret quae si accuratius expressa essent pueris docendis inservirent, eximia illa quae versibus 4. 6. continuo se secutis apparet brevitas sermonisque vigor qui asyndeti figura v. 4. (injuria a Lachmanno expulsa) petitur. Adhibita quoque est asyndeti figura 10, 8. 22, 3. 4. 72, 9. 83, 2: ubi Lachmanni et Hartungi emendationes rejiciendae. 97, 7. 122, 13: ubi codicis *τ'* post *γομφίους* delendum.

86. Fix delevit v. 9 et mutavit ineunte v. 10 *τὴν* in *καί*. Deleta maluerim verba v. 8. *ἄχρι πεινήσῃς* (quae satis aperte interpretamenti speciem prae se ferunt) et v. 9 *οὐδ. ἐξελ. πρ.* ita ut ex vv. 8. 9. 10 efficiantur duo hice:

Σκώπτουσα „Μεῖνον“ εἶπεν „ἄχρι τοιαύτην
τὴν γαστέρα σχῇς, ἡλίκην ὅτ' εἰσῄεις.“

88. 2. Ut tragicorum poetarum operibus interpolatores inculcarunt res ad antiquitates ac mythologiam spectantes, ita nostrum apologum versu ditavit aliquis qui historiae rerum naturalium scientiam quandam professurus erat. Neque vero sane scientem se praestitisse videtur: quae enim de *χαραδρίου* natura aliunde explorari possunt *χαραδριόν* simul cum *κορυδαλῷ* apte in scenam vocatum esse parum probant. *Τὰς δ' οἰκήσεις*, docet Aristot. H. Anim. IX, 12, 1, *οἱ μὲν περὶ τὰς χαράδρας καὶ χηραμοὺς ποιοῦνται καὶ πέτρας οἷον ὁ καλούμενος χαραδριός. Ἔστι δὲ ο χαραδριὸς — — τὴν φωνὴν φαῦλος· φαίνεται δὲ νύκτωρ κτλ.* Differt igitur Aristotelis charadrius ab ave, quam eodem nomine appellat interpolator: huius enim avis mane apparet illius noctu; huius est canora quippe quae cum

cassita cantu decertet, illius *φωνὴν φαῦλος*; huius habitat prope segetes, ubi nidulatur cassita, illius in terrae hiatibus et circa loca saxosa. Ad ipsam fabulam v. 2 nihil facit; obest autem narrationi, quae sic in fabulae initio subpigre movetur. Paraphrasis graeco sermone conscripta exstat nulla; tamen advocari potest Gell. N. Att. II, 9, ubi in narratione proxime ad nostram fabulam accedente nihil invenitur, unde versum qualis est v. 2 exstitisse colligatur. Versu 2. deleto mutandum est ineunte v. 3 *καί* in *ὅς*.

95. Ne ab hac quidem egregia fabula interpolatores manus abstinuerunt. Pro suppositiciis habeo vv. 23. (34. 35.) 61. 77: quippe qui omnes a paraphrasta 123 H., qui poetae verba quam proxime consectatus est, ignorentur et vulpi verborum turbas de industria fundenti tamen quae sunt taedio tribuant.

V. 61: *Σὺ νῦν διώκεις πανταχοῦ με καὶ φεύγω.* Male claudicantia sequuntur in A verba *καὶ φεύγω.* Ahrens „emendavit" *κἂν φεύγω*: num vero potes tu insequi aliquem, qui in loco consistit? Probabilem sensum efficit G. Hermanni *μ' ὅποι*: at quaeritur num versus qui necessario eget medela sententiarum nexui conveniat. Id vero equidem nego. Cerva enim furore incensa est: infervescit atque aestuat ei bilis. Exspectatur igitur fore ut gravibus verbis iram effundat in vulpem. Quid vero? Cerva timide pavideque velut ex grege ovicula coram lupo dicere incipit. Jam remove versum et tu illico audies, quod affectui, qui cervae est, concinat. Versum deleri voluit jam Dübner, cui eidem intrusus esse videtur v. 63.

V. 77 ex interpolatoris sententia, opinor, expressurus est idem quod declarant vv. 67. 68. et paulo post 81. 82: quibus cerva vituperatur a vulpe, quia suspiciosam se atque ignavam praestiterit. At si quid interest inter ignaviam et animi levitatem, *κοῦφος* non apte appellatur qui est ignavus; sin vertis „Incertam te expertus ac levem": noli oblivisci de his nihil dici in fabula.

98, 18—20. Plus uno nomine laborant hi versus quomodo leguntur in A. Hartung et Bergk mutarunt v. 18 *τε* in *δέ*, cetera intacta dereliquerunt. Pro *ἄμικτον* quod ferri nequit suspicati sunt Boiss. *ἄνικτον*, Seidler (ap. Eberh.) *ἀθέμιτον*: quibus quidem emendationibus officit particula *ἤ*. Aptum

sensum ex verbis qualia sunt nisi vi quadam elicuit nemo. Ut eum quem interpolator imbecillus consecuturus erat sensum assequamur scribendum est: ὡς ἄμεινον ἀνθρώπους (vel ἀνθρώποις) ἐρᾶν λεόντων ἢ λέοντας (vel λέουσιν) ἀνθρώπων. Sed tollite tollite has sordes! Fabula cum v. 17: ἔκειτο δ' ἀργός, ὥσπερ ὗς ἀποθνήσκων egregie ad finem perducta est. Paraphrr. 249a. b. H. jam v. 16 subsistunt.

106. Desunt huic fabulae pressa et tenuia quibus Babrianae omnes fere conspicuae sunt. Sed non solum late fuseque pleraque dicuntur, sed etiam locutionibus nimium arcessitis ac doctrinam redolentibus. Alia quoque reperiuntur, unde hoc carmen Babrio dari non posse eluceat. Quod v. 1. sensus flagitat ἀρίστων vetat metrum. Pro v. 2. φωλεός habet Babrius φωλάς 82, 3. V. 3 ὀριτρόφων vitiosa derivatio: adhibenda erat forma ὀρείτροφος cf. ὀρείνομος 23, 2 ὀρείφοιτος 91, 2. 95, 25 vel ὀρειτρεφής. Φυή i. q. φύσις nativa indoles ap. Pindarum. Versus imitatio esse videtur Homerici πολλῶν ἀνθρώπων νόον ἔγνω. V. 4 γνησίως=γενναίως 95, 81. V. 5. θαμινά adverb. Pind. V. 6 συνηυλίσθη seriorum. V. 7 φιλεῖν sensu Homerico. V. 8 θυμήρης cf. Hom. Od. X 362. V. 9 omnino fere congruit cum 95, 3. V. 10 τὰ πολλὰ μειλίχως συζητεῖν mire dictum. V. 12 abundat post v. 11. V. 15 νεόδρομος lexicis ignotum. Ex horrido versu hoc et 3. animi causa justos choliambos efficere supra conatus sum. V. 20. 21. 22 κερδοῖ σοφή — ὦ φίλη — ὦ φέριστε: comice an inepte? V. 27 εἰς ἔθος βαίνειν locutio aliunde non nota. V. 28 non recte stat sententia: correctionem exigit aut οὐδ' (ft. οὐχ) aut μούνη (ft. οὕτως.) Septies trochaeum in ultima versus sede occurrere jam memoratum est. Paraphrasis extat nulla. Res quasdam ad condicionem, qua in aula principis cuiusdam mitis ac liberalis usus fuerit poeta, spectantes hoc carmine significatas esse opinati sunt, qui fabulam lepore facetiisque carere intelligentes tamen ut a Babrio abjudicarent a se non impetrarunt. Sed et sic parvi pretii mihi est hoc poema, licet prorsus aliter judicent Hertzberg Hartung Keller. Carminis auctor est inter illos quos notat Babrius pr. (II) 10, 11.

107, 12. Injuria critici foras protuserunt codicis verba κἀντεῦθεν ἀπεγνώκει ὁ θὴρ τήν σωτηρίαν, quae sic quidem

mera sunt prosa. Justum scazontem ex his verbis constitutum non vidi. C. Fr. Hermanni versus *κἀνταῦθα τὴν σωτηρίαν 'πεγνώκει* displicet, quod caesura caret legitima. Condidi:

κἀντεῦθεν ὁ λέων ἐκφυγεῖν ἀπεγνώκει.

115, 11—13. Inutile ac malum additamentum, quod non habent paraphrr. 419 H. 229 Schn. Seriorum est *ἐκψύχειν* pro *ἀποψύχειν*.

117, 8. *Σπεύδοντες* ubi exspectatur *σπεύδων*, quod exhibet cod. Vat. (ap. Knoch. p. 79), vel *σπευδόντων* defendi potest: v. Lewis. ad. h. l. At ut de elocutione taceam quid facit ad rem hic versus? Negat quidam deos esse judices aequos. Dum hac de re verba facit, accedit fortuito agmen formicarum. Quod vero quum praeter exspectationem fiat explicatione egere visum est interpolatori. Ecce palearum acervi quo formicae tendunt jacent in propinquo. Habet sic interpolator rei mirae explicationem: at parum curavit verba *οἷα συμβαίνει*, quibus lectis nemo, opinor, erit qui singularis rei mentionem desideret. Paraphr. 118 H. versum ignorat.

118, 5. Qualis hic versus et ubi in codice exstat ineptus est et melius abesset. Nihilominus versum tamquam poesis lumen retinebimus, sed *ἐπανθούντων*, quod verbum compositum displicet, in *ἀνθοῦντας*, et *πορφυροῖς*, ne versui desit syllaba, in *πορφυροῖσιν* mutatis collocabimus post v. 5. Legendi sunt vv. 4—6 ita:

κἀκεῖ νεοσσῶν ἑπτὰ γίνεται μήτηρ.
ὄφις δὲ τούτους ἕρπυσας ἀπὸ τρώγλης
οὔπω πτερίσκοις πορφυροῖσιν ἀνθοῦντας
ἅπαντας ἑξῆς ἔφαγεν.

VITA.

Fridericus Guilelmus Hoch, Suhlae a. h. s. XLV. natus Joanne Ernesto et Christiana Eleonora e gente Weissiana parentibus, discipulus quondam gymnasii Schleusingensis, Lipsiae et Halis philologiae nec non philosophiae studiis se dedit. Universitate relicta scholae privatae praefuit Slitesiae in terra Chattorum. Deinde Argentorati Basileae Monachii Lipsiae aliquid temporis commoratus Halas rediit, ubi in Paedagogio Regio et in schola reali praeceptoris auxiliarii munus explevit.

THESES.

I.

Phoen. Coloph. Fr. I (ap. Athen. p. 359 e) v. 17. verba πλείονα τῶν γ' ἐῶ (cod. A) sunt Athenaei, non poetae.

II.

Pind. Pyth. II, 72 sq. legendum esse censeo:
γένοι' οἷος ἐσσι φυᾷ· μαθών τοι πίθων παρὰ παισὶν αἰεί καλός.

III.

Schema quod dicitur Pindaricum grammaticorum commentum.

IV.

Injuria Müller (Aegin. p. 42) et Boeckh (Expl. Pind. O. VII) coloniam a Tlepolemo Argis in Rhodum ductam fuisse negant.

V.

Contra Krausium (Olymp. 119) et Schoemannum (Gr. Alterth. II p. 61) ἐφέδρου conditionem talem fuissc contendo, ut singulis paribus luctatis sine mora cum eo quicumque vicerat luctando certaret.

VI.

Pessimismus eis quae Schopenhauer philosophiae posuit fundamentis repugnat.